PROLEGOMENA AD PLAUTI AULULARIAM

SCRIPSIT

GODOFR. AUG. BENEDICT. WOLFF

DR. PH. PROF. PORT. SOCIETATIS LAT. JENENS. SOD. HONOR.

QUIBUS SOLLEMNIA

SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS

CAL. NOVEMBR. MDCCCXXXVI.

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

INAUGURATIONIS SUAE

ANTE HOS CCXCIII ANNOS FACTAE

PIE RECOLENTIS

INDICUNT

ET

AD ORATIONES ET RECITATIONES DISCIPULORUM

EX OMNIBUS CLASSIBUS ELECTORUM

AUDIENDAS

INVITANT

RECTOR ET COLLEGIUM

SCHOLAE REGIAE PORTENSIS.

NUMBURGI

TYPIS C. A. KLAFFENBACHII.

MDCCCXXXVI.

Inter multos poetas comicos, qui olim apud Romanos exstiterunt, maxime excelluisse Plautum, antiquiores certe Romani ipsi iudicaverunt. Cicero pluribus locis, ut de Off. 1, 29., de Invent. 1, 50., de Orat. 3, 12., de Senect. 14. haud leviter Plauto delectatum se esse ostendit; Varro, quem de scriptoribus et poetis subtilius iudicasse scimus, ut Nonius docet sub voc. *poscere*, haec dixisse fertur: „In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus.“ Sermonis autem elegantia atque virtute inprimis insignem fuisse Plautum, idem Varro testatur, qui, ut apud Quintil. inst. orat. 10, 1, 99. legimus, Aelii Stilonis magistri sui sententiam secutus dixit, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent. Apud Gellium, qui saepissime Plautum eiusque ingenium et virtutes laudibus effert, lib. XV. c. 24. versus iambici trimetri Volcatii Sedigiti poetae leguntur de Romanorum comicis locoque singulis attribuendo:

„Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo iudicio errorem dissolvam tibi,
Ut contra si quis sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam Statio do comico;
Plautus secundus facile exsuperat ceteros;
Dein Naevius, qui servet pretium, tertius est.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto sequitur hos loco Terentius.
Turpilius septimum; Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium.“

His versibus primum Caecilius Statius, secundum Plautus, sextum Terentius obtinet locum. Postea tamen, Augusti demum tempore, quo homines Romani non, ut Ciceronis aetate, in duas partes divisi erant, quarum una Graeca magis, altera magis paterna et Romana amare solebat, sed iam maiori ex parte, isti certe, qui eruditiores atque elegantiores videbantur, Graecis magis magisque assuescere coeperunt,*) quemadmodum omnes Romanorum propriae artes

*) Cf. quae Grysar. Vir doctissimus disseruit in libello, quem inscripsit: Ueber den Zustand der Römischen Bühne; allgem. Schulz. 1832.

literaeque, sic ipse Plautus vilioris aestimari coeptus est. Itaque deterius de Plauto iam iudicaverunt scriptores ceteroquin doctissimi elegantissimique, Graecam scilicet eruditionem civibus suis inculcare studiosius conati, ut Horatius art. poet. vs. 270. et epist. 2, 170. Ipse Quintilianus (inst. orat. 10, 1, 99.) in comoedia maxime claudicare Romanos dicit parum curans, quod Varro sermonem Plautinum in coelum usque sustulerit. Quae quidem perversa iudicandi ratio, qua Romani sui populi ingenio cultuique haud leviter nocuerunt, evanuit sensim sensimque et ad saniora redierunt tandem posteriores certe Romanorum scriptores, ut Gellius, qui, utpote antiquissima quaeque admirans, haud pauca, quae apud Plautum leguntur, tractat atque commentatur, haud dubie passim etiam antiquiores quosdam grammaticos secutus. Idem Gellius Plautum verborum latinorum elegantissimum appellat lib. I. c. 6. et lib. VII. c. 17. hominem linguae atque elegantiae in verbis latinis principem, lib. XIX. c. 8. decus linguae latinae. Neque a laude Plauti alienus fuit Macrobius, qui Saturn. 2, 1. Plautum et Ciceronem eloquentissimos antiquae aetatis dixit.

De Aularia Plauti.

Sed ut inter Romanorum comicos plurimum excellit Plautus, ita, si fabulas eius respexeris, inter omnes insignem admodum locum tenet, quae Aularia inscripta est, sive morum, qui depinguntur, verum colorem et sincerum, sive metri aptam dispositionem, sive alacritatem, qua omnia moventur aguntur que, sive tandem ampliorem actionis oeconomiam, quam dicunt, et absolutiorem quandam perfectionem respexeris.

Quae cum ita sint, ad hanc fabulam animum ita adieci, ut, quantum per fines huius libelli arctiores liceret, paullo fusius accuratiusque ea potissimum pertractare mihi proposuerim, quae ei, qui fabulam lecturus est, ut animum mentemque ad lectionem quasi praeparet, ante cognitu necessaria videantur; *Prolegomena ad Aulalariam* dixisse liceat. De singulis igitur, de quibus, antequam lectio fabulae ipsa inchoetur, monendum est, quantum per vires licet, deinceps disserere conabor. Quanquam persuasum habeo, etiam de his rebus lucem, quantum satis sit, a Ritschelio demum Plauto allatum iri, ab illo Viro doctissimo, qui istis studiis totum se tradidit adeo, ut mirum quanta sagacitate, assiduitate et diligentia plurimas res, quae de Plauto eiusque re literaria et critica hucusque admodum in tenebris sitae iacebant, iam in lucem protraxerit, ut clarissime de iis constet; id quod fecit tum olim in iis, quae conscripsit in ephemeridd. liter. Hal. de editione aliquot Plauti fabularum, quam curavit Vir Clarissimus Lindemannus *), tum nuperrime in editione sua Bacchidum atque in Museo Rhenano **). Quare eo instantius Viros doctrina et humanitate praesignes iterum iterumque veniam rogo eorum, quae ipse de illis rebus conscripsi. Quod autem, occasione data, addidi quaedam, quae non ad ipsam Aululariam, sed ad rem scenicam Romanorum in universum

*) Vid. Allg. Lit. Zeit. 1834. No. 143.

**) *Ueber die Kritik des Plautus,* 4. Jahrg. 2. und 4. Heft.

pertinent, de eo, cum titulo huius libelli parum significetur, benignius veniam me impetraturum esse speravi.

Sed ut redeam, Plauti Aulularia parcissimi et tenacissimi senis repraesentatur imago, Euclionis, qui aulam auri plenam domi suae defossam invenit, inventamque miseris modis servat modo hic, modo illic abscondens, donec decipitur aulamque omittit.

De nomine.

Quod *Aulularia* inscripta est fabula, est fortasse, quod quaeras, qui factum sit, ut non *Avari* titulo eam nominaverit poeta, fabulae argumentum haud tecte significans, quemadmodum idem Plautus comoediam istam, qua ostentator ridiculus miles vanusque homo depingitur, inscriptione *Militis Gloriosi* signavit. Ipse Molierius, inter Francogallos comicorum ille princeps, quam imitando inde fecit fabulam, inscripsit: *L'avare.* Veruntamen iam Lessing. (dramaturg. cap. XXI.) docet, veteribus et Graecis et Romanis minus fuisse in more, ut, sicuti nunc quidem haud raro fit, comoedias inscriberent nomine, ex quo ipsa argumenti natura et ratio manifestius appareret. Ita enim facere, quanquam non prorsus quidem dedignabantur, ut quemque inprimis docebunt fabularum nomina, quae in fragmentis scenicorum inveniuntur et Graecorum et Romanorum, potissimum fabularum, quae duplici sunt inscriptione, in quibus altera plerumque propius accedit ad genus modumque argumenti, tamen nihilominus pauciores modo inveneris fabulas, quae similiter, ut Miles Gloriosus, suis nominibus indicent, quid ipsis et qualia proponantur. Etiam quibus indita sunt duo nomina, quas fabulas quidam dicunt binomines, in iis quanquam alterum nomen, plerumque magis, ut ita dicam, appellative inditum, propius a significanda argumenti natura abest, tamen aenigmatis nescio quid semper superest, ut impediaris, quo minus accuratius intelligas, quod et quale argumentum fabula tractetur. Nomina fabularum repetuntur plerumque a rebus aut a personis, quarum est mentio in dramate haud raro admodum levis tenuisque; ipsum argumentum quale sit, plerumque aut nil, aut minimum certe inde suspiceris. Ita Aululariae nomine de argumento nil docemur.

Sed ex sermonis latini ingenio et consuetudine haec fabula ne potuit quidem inscribi nomine *Avari.* Neque enim satis latinam hanc inscriptionem fore, facile apparebit. Quo enim antiquior est sermo Romanus, eo minus eoque rarius *avarum* Romani dixisse videntur hominem tenaciorem pecuniaeque amore adeo captum, ut ad sordes delabatur inhonestiusque parsimoniae se dedat. *Avarus*, id quod ex ipsa etymi ratione intelligitur, est, qui habere maxime cupit nominatim pecuniam eiusque possessionem nimium appetit; quod quidem vitium inter Romanos illa aetate, qua libertate reipublicae adhuc utentes spiritus quasi altiores animis gerebant, multo fuit frequentius, quam vitium istud, quod est in tenacitate et in nimia parsimonia, utpote nimis quasi pusillum prae magnitudine imperii et gravitate reipublicae, quam fere singuli cives administrantes adhuc capessebant. Inde factum puto, ut Romani fere careant vocabulo, quo proprie et peculiariter, rem acu tanquam tangentes, illas

animi sordes nimiamque parsimoniam sive *τὴν φιλαργυρίαν* exprimant. Quanquam, cum duo ista vitia arctius inter se cohaereant, maturius iam usu venit, ut passim, sed rarius, *avarus* etiam dicatur iste, qui iusto magis parsimoniae indulget sordidiusque tenax est pecuniae atque nummorum. Sed haec quidem significatio, qua *avarus* nominatur tenacior, maxime demum invenitur posteriori tempore, quo reipublicae libertate privati Romani a foro rebusque publicis remoti ad domesticam magis vitam redierunt, et privatim rei familiari studentes magis colligendi opes cupiditate occupati tenebantur, quam, ut ante, perdendi. Ita Horatius *avarum* dixit iusto parciorem epod. I, 1, 42: „Quod aut *avarus* ut Chremes terra premam, Discinctus aut perdam, ut nepos;" et Satyr. I, 1, 103: „Non ego *avarum* Quum veto te fieri, vappam iubeo et nebulonem." Ipso Aululariae altero argumento, quod non *ἀκρόςιχον* est, haud dubie posteriore demum tempore, ut vulgo putant, Prisciani, composito, senex iste Euclio vs. 1. *avarus* nominatur. Quae cum ita sint, si Plautus hanc fabulam *avari* nomine inscripsisset, verendum fuit, ne ipsa nominis significatio parum ab aequalibus percipi potuisset. Avaritia fuit habendi cupiditas iusto maior, sive, ut Sallustius dicit Catil. c. 11, pecuniae studium; quae quidem avaritia ut cecidit in priora Romanorum tempora sic satis iam corrupta, ita, quemadmodum Sallustius plus uno loco, ut Catil. c. 5, significat, cum luxuria et profusione erat coniuncta.

Aululariae nomine utrum a Plauto ipso fabula inscripta fuerit, nec ne.

Quod si iam de titulo, quem fabula habet, ipso inquirimus, neque una neque leviores se nobis opponunt difficultates. *Aulularíam* non a Plauto ipso inscribi potuisse comoediam, doctissime nuper probare conatus est, quem morte iam Plautinis studiis ereptum dolemus, Rostius Lipsiensis, Vir de Plauti interpretatione egregie meritus, in libello, quem brevi antequam mortuus est, *de Plautinarum fabularum titulis* scripsit. *) Argumentis duobus nititur. Mirum enim esse, quod diminutivam formam secutus Plautus finxerit nomen Aululariae, cum in fabula ipsa (vid. 4, 2, 4. et 7; 2, 8, 20. et 22.) commemoretur *aula*, non aulula. Deinde, quod alterum est argumentum Rostii, si quae fabula *Aulularia*, *Mostellaria*, *Asinaria* diceretur, cum eiusmodi foeminino nomine comoedia significaretur, non *uni* fabulae proprium quasi nomen inditum esse, sed classem modo indicari, cui adnumeranda esset ista fabula. Sed ut clarior sit posterior potissimum sententia, apponere liceat ipsa Rostii verba, quae huc faciunt. Dicit ille pag. 8. sic: „Est — omnium adiectivorum ea vis, ut nomina, quibus „applicantur, angustioribus finibus circumscribant et pro notis valeant, quibus res unius ge- „neris inter se differunt et distinguuntur. Quam quidem facultatem istae attributiones tum „demum habere possunt, si rei, de qua agitur, classes constituunt, neque vero uni et sin-

*) *Plautinorum cupediorum est ferculum duodevicesimum ed.* 1833.

„gulari rei adhaerent, quo casu ad explicandam generaliorem aliquam notionem nihil lucis „afferunt. Hinc fit, ut lex frumentaria, agraria, tabellaria recte ita vocentur, quia tales fu„erunt legum species; sed quid sit fabula aulularia, asinaria, cistellaria, ut hoc intelligas, „priusquam ipsam legeris aut spectaveris, Oedipo tibi coniectore opus erit. Istiusmodi „enim tituli, qui respondent vernaculo: *Topfcomoedie*, *Eselscomoedie*, non proprium edunt „comoediae nomen, sed proprias fabularum formas significant, quae tamen nullae fuerunt. „Quare a me impetrare nequeo, ut Plautum, cui in manu erant rectiores tituli, asina, cistel„la, aulula, illarum inscriptionum auctorem fuisse censeam, sed alios, quicunque fue„runt, inventores earum puto, veteres forte grammaticos, ut Varronem, Nonium, Festum „aliosque illorum aetati suppares aut ea priores; qui cum administrandae suae provinciae gratia opus „haberent librorum titulis, quasdam Plautinas fabulas, iis casu aliquo carentes, inscripsisse „videntur nominibus, quae argumento utcunque essent convenientia et ad formam similia „illis, quae apud alios poetas reperirentur.“ Sed, quod pace fecerim manium illius Viri, ut ad priorem causam, quam leviorem esse ipse significasse videtur, respondeam, ad istam, quae a forma *diminutiva* repetita est, etiam in titulis comoediarum, quas alii scripserunt, formam hanc in usu fuisse deprehendimus. Scimus, ut ex ipso Rostii libello pag. 9. exempla sumam, duas Naevii exstitisse comoedias, quarum una Corollaria, altera Tabellaria inscripta fuisse fertur; puellam significari docet Rostius, hic, quae tabellas afferat, illic, quae corollas nectat. Ac similiter, si fragmenta inspiciuntur comicorum Rom., a forma diminutiva haud raro poetas repetiisse discimus fabularum nomina; sic Naevius et Pacuvius (vid. Bothii fragment. pagg. 21. et 28.) uterque Tunicularium composuerunt, Novius Togulariam (pag. 54.), Pomponius Cretulam (pag. 107.), Lucilius comicus Numulariam (vid. Fulgent. pag. 806. apud Godofred.). Itaque patet, apud Romanos consuetudinem quandam fuisse, ex qua comoedias haud raro inscriberent titulis a diminutiva forma nominum repetitis. Ita fieri suo quasi iure postulasse videtur vis quaedam comici sermonis et natura; ut in universum Romani in vulgari vitae consuetudine haud raro diminutivis nominum formis sine alia ratione usi videntur, quam quod earum erant amantiores. Quod si non alia causa eiusmodi tituli impediantur diminutive impositi, per se nequaquam mirum insolentiusque videatur, si Plautus quoque hanc consuetudinem secutus a diminutivis comoedias aliquot nuncupaverit, ut Aulularium, Mostellariam. Formam diminutivam *ollulam* sive *aululam* invenimus apud Varronem de R. R. I. cap. 54. et apud Apuleium Metam. 2. ante med.; num apud eundem Metam. 5. *aulula* scribi debeat, incertum est. *Mostellum* vero, i. e. parvum monstrum, a quo diminutivo *Mostellaria* dicta est, vulgo quidem in ore hominum fuisse parum scimus; tamen legitur in glossario quodam, quod memorat *Forcellin.* lexicographus, ubi *Phasma* simpliciter dicitur esse mostellum; unde patere videatur, diminutivum hoc vulgari sermone idem fere fuisse, quod monstrum. Ad eandem rationem nomen comoediae, quae Poenulus nunc inscribitur, sive a Plauto, sive post eum ortum est, redire videmus; diminutivam formam etiam hic habemus. Quin Casinam diminutive dici, apparebit ex iis,

quae infra de etymo huius nominis proponentur. Concedo, eiusmodi consuetudinem non reperiri apud Graecos, neque in Terentium cadere, politiorem scilicet comicum atque urbaniorem, et altioris tanquam loci; Terentii comoediae ut vulgo inscriptae in codd. MSS. inveniuntur, ita perpetua tanquam lege unoque consensu laudantur atque commemorantur a grammaticis aliisque scriptoribus; quod unde factum sit, postea videbimus. Itaque, ut iam monui, quod diminutive fabula est nominata, ex eo per se nil est, quod improbanda putetur haec inscriptio fabulae: *Aulularia.* Inscriptio nata est ex consuetudine a Romanis saepenumero servata, in titulis comoediarum sequendi formam diminutivam.

Sed ut transeamus ad alteram causam, qua Aululariam non hoc modo a Plauto inscribi potuisse demonstrat Rostius. Verum est sagacissime disputatum esse a Viro Clarissimo, etiam ita, ut ipsa Graecorum antiquitas ei suffragetur. Omnes enim Graecorum comoediae, quotquot sunt, simpliciter habent titulos aut unum, sicuti plerumque est, aut duos, alterum fere e rebus mythicis petitum, alterum, ut loquar cum grammaticis, appellativum, quanquam interdum ambo sunt appellativi; sed nunquam titulus, ex adiectivo natus ita apud Graecos praeponitur, ut omissum sit nomen *Κωμῳδία*, uti Aulularia cogitari non potest, nisi comoediam vel fabulam intellexeris. Et ita apud Romanos factum est etiam de tragoedia. Tragoediae Romanorum simpliciter inscribuntur nomine, quo singulae a singulis distinguuntur; in iis ne duo quidem tituli in usu fuisse videntur, nisi rarissime, ut L. Attius (vid. trag. fragm. Bothii pag. 161.) Aeneadas vel Decium, et Tropaeum vel Stasiastas (pag. 248.) scripsit. Neque unquam Terentii sex fabulas alia habuisse nomina, quam quae nunc exstant, patet ex grammaticorum aliorumque locis, quibus istae fabulae illis tantum nominibus laudantur. Quod Heautontimorumenon quidam nescio quo loco scripsit nominatum esse *Se ipsum cruciantem*, de eo tanto magis dubitandum videtur, cum Cicero Tuscul. 3, 27. moneat tantum potuisse Graecum illud nomen latine verti *Se ipsum poenientem* (add. Horat. Satir. 1, 2, 20.). Ista autem nomina, quibus inscripsit Terentius comoedias suas, ad unum omnia optime respondent Graecorum illi consuetudini legique. Neque id mirum videatur. Terentius enim doctior et, ut ita dicam, elegantior comicus, qui parum ad vulgi ingenium descendebat atque nobilioribus, qui Graecorum literas artesque sequebantur, placere malebat, quam plebi, et cuius vita propius etiam accedebat ad aetatem, qua in universum Graeca magis amabantur (cf. Osan. anal. cr. pag. 161.), ipsos titulos imponens diligentius Graecorum morem respexit et cum ipsius fabulae minus, quin multo rarius, quam Plauti, in scenam coram vulgo productae videantur (cf. Osann. anal. cr. pag. 147.), ipsa nimirum fabularum nomina minus in ore vulgi fuerunt neque graviori mutationi obnoxia.

Alia est res, si Plautum respexeris. Hic, ut historia rei scenicae apud Romanos docet, quantum quidem cognitam habemus, vere et proprie in deliciis populi fuit, fabulaeque eius frequentissime in scenam prodierunt. Ita fuisse testantur prologi quarundam Plauti fabularum, qui vel toti vel ex parte posteriore demum aetate sunt compositi (vid. Osann. anal. pag. 148.); cf. Casinae prol. vss. 5—15., ubi antiquae fabulae novis opponuntur, Menaechm.

prol. vs. 3. (vid. Osann. pag. 178.): *Apporto vobis Plautum lingua, non manu*, Pseudol. prol. vs. 1.: *bona in scenam affero* et vs. 9.: *huic nos nunc pariter bonam boni operam date gregi*, et vs. 30.: *Plautina longa fabula in scenam venit.* In Pseudolo (vid. Osann. pag. 148.) Roscium, comoedum, Ballionis partes egisse Cicerone ipso spectante, scimus ex Cic. Orat. pro Rosc. Com. 7, 20. et 17, 50. Quin etiam, quod sane mireris, in ruinis Pompeianis, in oppido isto Vesuvii ignibus abrepti, inventa est tessera sive tabella*), quam qui habebat ostendebatque, ei introitus patebat in theatrum; ibi Casina Plauti commemorata est, ut in scena ab histrionibus agenda.

Haec cum ita sint, Plautinas fabulas vulgus populusque ipse iure suo quasi possidebat et nominatim histriones Plautum vix e manibus deposuisse videntur. Quidni autem non modo Romae, sed aliis etiam in urbibus, ubi Plauti fabulae in scena agebantur, histriones singuli et nominatim, qui histrionum gregi praeerant, suo pro iudicio arbitrioque corrigere, mutare, omittere, addere poterant de fabulis, utcunque ipsis libebat et res causaeque aut tempora iubebant? Id quod Romae ipsi iam facere poterant Aediles, quibus poetae fabulas suas vendere solebant et in universum, quicunque aut suis impensis aut publica auctoritate fabulas agendas curabant. Iamque satis mature accesserunt grammatici Romani, quorum unus fuit celeberrimus ille M. Terentius Varro, quem quaestiones Plautinas scripsisse scimus; istorum ex numero non pauci operam posuerunt in explicandis Plauti fabulis et dictione antiqua pervestiganda. Hi cum crisin simul exercerent de singulis locis haud secus atque de integritate singularum comoediarum, quanquam multum sine dubio profuerunt, fieri tamen non potuit, quin iidem alii aliter statuerent iudicarentque, et, quod verisimillimum est, Plauti etiam interpolationem passim certe adiuvarent augerentque. Quae cum ita sint, iam antiquitus Plauti si non totius, singularum certe fabularum plures, quae nunc dicuntur, recensiones exstitisse oportet et haud exiguam varietatem formae, qua Plauti fabulae hic illic legebantur. Plauti igitur exemplaria, quibus posteriores Romanorum grammatici utebantur, haud dubie admodum inter se differebant, quo tandem factum est, ut iidem versus, etiam longiores loci ab aliis aliter scripti commemorentur, quin versus etiam laudentur plurimi, qui in fabulis, quibus adscribuntur, nunc non exstant. Legas, si placet, de omni ista interpolationis Plautinae origine, quae fusius scripsit Osann. Anal. cr. pag. 141. et sqq. et quae nuperrime disseruit Car. Herm. Weisius.**) Huius autem interpolationis, quae in Plautum cecidit, testimonium satis idoneum habemus in iis, quae in lucem protraxit Angelus Maius ex Palimspesto codice Ambrosiano, unde clarius patet, textum Plauti mirum in modum plus uno nomine plurimas subiisse mutationes, etiam si numerum ordinemque versuum respexeris. Ut enim apud Grammaticos latinos haud pauci versus leguntur, quos adhuc in Plauti comoediis nusquam reperis, ita similiter

*) Vid. *Grysar:* Ueber den Zustand der Römischen Bühne im Zeitalter des Cicero, in der Allg. Schulz. 1. Apr. 1832.

**) *Plautus und seine neuesten Diorthoten*, 1836.

eiusmodi versus in illo codice Palimspesto inveniuntur. Eiusmodi versus orti sunt ex diversa textus Plautini conditione, quam alius aliter constituit post Plautum addendo, mutando, mutilando, abiiciendo, ut iam pateat, palimspestum illum, quem in bibliotheca Ambrosiana Angelus Mai. invenit, codicem diversae, quod dicunt, fuisse familiae. Itaque si cum hominibus, qui res antiquas cavillari solent, ita loqui liceat, nobis quasi gratulari debemus, si verum est, quod, qui de Plauti codicibus MSS. eorumque historia fatisque disserunt, ad unum omnes dicunt, quotcunqne Plauti libros MSS. aetas nobis servaverit, omnes ex uno libro MS. tanquam ex archetypo manasse*); si enim ex pluribus libris diversae recensionis profecti essent codices et libri MSS., quos aetas tulit, mirum quantum augeretur difficultas doctius tractandi legendique Plautum, a tot hominibus iam antiquitus misere perditum et dilaceratum.

Quamquam, quod mirum est, si singulae Plauti fabulae respiciuntur, aliam alia magis isti interpolationi expositam fuisse suspicari debemus. Si enim inspexeris indicem locorum, qui ex comoediis Plauti, quae adhuc exstant, a Grammaticis commemorantur, sed qui in libris MSS., quos hodie habemus, nusquam comparent, miraberis, illorum locorum plurimos esse ex Bacchidibus, ex Amphitruone, ex Aulularia; unum duosve tantum esse ex Poenulo, Pseudolo, Rudente; nullum fere ex Cistellaria, ex Trinummo, ex Mercatore, ex Menaechmis. Quid inde sequatur, apparet: ex fabulis Plauti aliam alia magis a populo fuisse adamatam atque in deliciis habitam, frequentiusque in scena actam et ea de causa magis interpolari potuisse.

Sed haec omnia quorsum in medium tandem protuli? Ut pateat, per se haud improbabilem esse sententiam Rostii opinantis, ne a nominibus quidem titulisque fabularum longius abfuisse istam interpolationem, cui iam antiquissimo tempore obnoxiae fuerunt Plauti fabulae. Etiam nomina comoediarum potuisse mutari iam ex eo apparet, quod haud una fabula etiam Plauti, ut postea videbimus, duplici nomine laudatur a Grammaticis. Plautum prae ceteris comicis in manibus fere semper habebant histriones, quin grammatici quoque et quicunque rem scenicam Romanorum tractabant; quidni igitur fieri potuit, ut fabulam, in qua summa rei ad aulam auri onustam redit, vel in qua ridicule asinorum venditio commemoratur, vel in qua senex redux a servo, qui phasma in aedibus conspici narrat simulatque, a domo suo intranda prohibetur, nuncupaverint isti Mostellariam, Asinariam, Aululariam? Familiari quasi modo suo ita facere solebant negligentius atque incuriosius, neglecto etiam titulo, quem Plautus ipse inditum voluerat. Hoc igitur certum esse videmus etiam nomina comoediarum Plauti interpolationi isti, quae iam antiquissimo temqore cecidit in Plautum, exposita fuisse. Sed quousque ista *titulorum* interpolatio pertinuerit, id diiudicare difficilius esse videtur, quam ut ad liquidum res unquam perduci possit.

---

*) Cf. quae Ritschel. de re crit. Pl. disseruit: Rhein. Museum für Phil. 4. Jahrg. 2. Heft, pag. 153.

Quare, postquam diligentius omnia tractavi, quae Rostii sententiam confirmare videantur, eo confidentius istam nunc impugnare conabor, quanquam subtilius Vir ille exposuit de causis, quibus permotus de titulis istarum fabularum dubitandum censuerit. Quod enim primum pag. 9. dicit, fabulas istas Plautinas, quarum titulos genuinos esse dubitat, casu aliquo nominibus a Plauto inditis caruisse, eoque factum esse, ut post Plautum titulis, quos adhuc habemus, inscripti fuerint, neutiquam per se verisimile est, infeliciter casu nescio quo accidisse, ut nomina, quae Plautus ipse his fabulis imposuerit, sine ullo vestigio prorsus evanuerint et perdita sint. Fabulae enim istae, quarum de inscriptionibus Rostius maxime dubitat pag. 7., Asinaria, Cistellaria, Aulularia, Mostellaria nusquam alio nomine a grammaticis commemorantur. Deinde demonstrari posse puto, grammaticam istam formam titulorum, qui a Rostio improbantur utpote non singulas fabulas, sed fabularum potius classes quasdam et genera indicantes, quanquam in sententia ista insit, quod mentem capiat, tamen ab antiqui sermonis usu minime fuisse alienam, atque titulis eiusmodi potuisse uti ipsum poetam comicum. Si enim attenderimus, quam saepe comoediae tum Plauti tum aliorum nominibus titulisque appellentur, qui in syllabas *aria* terminantur, inde opinio unicuique existet, hac terminatione titulorum maxime delectatos fuisse veteres Romanos. Invenimus, ut Plauti comoedias hunc in modum nominatas praeteream, fabulas eiusdem modi titulis inscriptas fere hasce: Naevii Agitatoriam, Clitellariam, Carbonariam, Corollariam, Diabolariam, Erulariam (vel Aulularíam, ut alii volunt), Testiculariam (vel Gesticulariam, ut haud male vult Rost. pag. 9.), Funiculariam; Pacuvii Piscatoriam; Novii Gallinariam, Lignariam, Tabellariam, Togulariam; ignoti cuiusdam Corniculariam; Lucilii Nummulariam. Etsi concedendum est, haud raro hos titulos ita explicari posse, ut intelligatur puella, sicuti Corollaria, Tunicularia, Tabellaria, Togularia puellae esse possunt, haec tamen explicandi ratio, ut iam in his nominibus modo memoratis admodum dubiam hic et ille existimaverit, ita in aliis multo minus apta, quin in nonnullis prorsus inepta est. Agitatoria quaenam est puella? Quaenam Clitellaria? quo nomine plures, etiam Plautus, fabulas scripsisse feruntur. Carbonariam Rostius vult esse puellam, quae carbones aut vendat aut tractet; sed hoc negotium nonne est potius viri carbonarii? Quod idem addit, esse puellam, quae a nobis dicatur *Aschenbroedel*, id quomodo quadret, nemo, puto, intelliget. Aptius hic quoque Carbonariam intelligi puto fabulam, sicuti Diabolariam, in qua summa rei fere redit ad diabolum; pariter explico Piscatoriam (puellam ita non vocaveris, sed piscatricem), Nummulariam. Itaque videmus plurimas etiam aliorum poetarum comoedias eodem modo inscriptas esse, quo inscriptae sunt comoediae Plauti Asinaria, Aulularia, Cistellaria, Mostellaria, formamque istam titulorum valde in re comica adamatam esse a Romanis veteribus, denique in plurimis eiusmodi inscriptionibus non puellam, sed fabulam vel comoediam intelligi posse. Putemusne, *omnia* plurima haec comoediarum nomina postea demum ab histrionibus aut grammaticis ficta et nata esse, nulla prorsus ab ipsis poetis? Hoc, ut ingènue fatear, cum animum inducere non possim, non difficiliori opera mihi persuaserim, a Plauto ipso nomen titulumque

Aululariae ortum esse, paulo incuriosius, si logices quidem legem spectemus, inscribente. Aulularia est fabula, cuius summa vertitur circa aulam auri plenam, sive thesaurum in terra abditum. Accedit, quod idem titulus Aulularias, ut e fragmentis discimus (vid. Both. pag. 203. et 208.), fuit etiam comoediae cuidam Laberii, unde nomen usitatius apud Romanos fuisse credere liceat. Quamobrem fortasse non a vero aberrat Stephan., qui Naevii Erulariam vult fuisse Aululariam (vid. Both. pag. 15.).

Quod denique Rostius pag. 11. addit, „ non prius ad sententiam eorum, qui eiusmodi „titulos adscito nomine *fabulae* vel *comoediae* interpretandos esse statuerint, accessurum se „esse, quam apud ullum probatum et antiquum scriptorem vocabulum *fabula* vel *comoedia* „illius formae nominibus vere adiunctum invenerit," id parum valere videtur. Nam ne vocabulum *puella* quidem usquam adiungitur illis nominibus et titulis, quibus Rostius significari vult *puellam*, non fabulam vel comoediam. Quotiescunque laudantur Corollaria, Tabellaria, Frivolaria, Clitellaria, Baccaria, quibus titulis *puellam* notari censet Rostius pag. 9., nusquam legitur Corollaria puella, Tabellaria puella. Neque id mirum est; tituli enim sunt; ut autem ipse Rostius pag. 11. admodum subtiliter docteque exposuit, Romani non minus atque Graeci, quod ita fuisse admodum mireris, assueverant carmina inscribere titulis foeminini generis; unde habemus Iliadem, Odysseam, Thebaida, Aeneidem; quibus nominibus foeminini generis nusquam ullum adiicitur substantivum, neque patet, quodnam apte adiici possit. Carmina foeminino nomine inscribere veteribus fuit in more; eademque de causa eo facilius etiam comicis Romanis fabulas illo modo formaque, de qua hic sermo est, inscribere licebat. Cum ista igitur consuetudine optime convenit, quod Vectii cuiusdam Titinii comoedia apud grammaticos vocatur et *Fullones* et *Fullonia* (cf. Both. com. pag. 60.)

His omnibus, quae hucusque proposui, animo perpensis, non possum, quin mihi persuadeam, Plautum ipsum ex veterum comicorum consuetudine optimo iure potuisse fabulas inscribere etiam titulis, qui finiuntur terminatione *aria*, etsi non puella, sed fabula et comoedia sit intelligenda. Sed nihilominus ne reticeam, quod in animum venit, in iis, quae nuper de crisi Plauto adhibenda in Museo Rhenano*) doctissime scripsit Ritschelius, Vir Celeberrimus, quem textus Plautini restitutorem fore iam omnes, qui Plautum in deliciis habent, laeti sperant, leguntur etiam verba, quae (pag. 156.) Poggius in epistola, quam de invento Plauti codice scribit ad amicum, profert satis memorabilia: „Nomina comoediarum" (Plauti in illo codice) „sunt „haec cum principiis — —: Plauti in Amphitruone; alia, cui deest nomen; in Aulularia; in Eu- „clione; in Captivis — —." Videmus hic in codice MS., qui fortasse in Italia alicubi adhuc delitescit, Aululariam memorari; adduntur verba *in Euclione*, satis obscure et aenigmatice. Nam nomina tantum illic notantur fabularum, non personarum. Quid, si hoc alterum fuerit nomen et titulus eiusdem comoediae, fortasse ab ipso Plauto impositum, ut binominem iam habeamus fabulam, *Aululariam* vel *Euclionem?* Ita quidem etiam Amphitruonem, Epidicum, Bacchides, Menaechmos, Stichum inscripsit Plautus nomine personarum,

*) 4. Jahrg. 2. und 4. Heft.

quae sunt in ipsa fabula. Neque tamen, quid existimandum sit de hac sententia, prius diiudicari poterit, quam iste liber MS. iterum inventus accuratiusque fuerit inspectus.

Sed liceat hic adiicere, quae mihi videntur

De titulis ceterarum fabularum Plauti, quos non a Plauto profectos esse suspicatur Rostius.

Similiter enim Asinariae titulum verum esse iudico. Quanquam enim satis facilis atque commoda est mutatio, qua Rostius prol. vss. 10—13:

— Huic nomen est graece Onagos fabulae,
Demophilus scripsit; Marcus vortit barbare;
Asinariam volt esse, si per vos licet,

pro foem. *Asinariam* mascul. *Asinarium* scribi mavult, hoc tamen patet, non ab Agasone, sed a venditione asinorum pretioque fabulam esse nominatam. *Ὀνήγου* sive Asinarii in Plauti quidem fabula nullibi est mentio. Etiam illa de causa minus putaverim, titulum Asinariae esse adulterinum, quod parum haec fabula antiquitus interpolata fuisse videtur, id quod coniicere licet ex eo, quod apud grammaticos praeter duos non leguntur versus, quos in fabula, qualis hodie legitur, non reperias.

Quod porro dubitat Rostius, rectene habeat titulus Cistellariae, id quidem eo minus curandum videtur, cum nihil sane impediat, quin ipsam puellam sive ancillam intelligamus, cui cistellam, in qua crepundia insunt, servandi cura imposita est. Quod enim ista ancilla amiserat cistellam, quam amissam mater puellae, cuius crepundia in illa inerant, deinde invenit, ex hac ipsa re plurimae oriuntur turbae, quae sunt argumentum fabulae. Itaque Cistellaria hic potest cogitari ancilla, quae Trinumm. 2, 1, 23 cistellatrix vocatur.

De Mostellaria autem ut addam, quod alii iam viderunt, ut Nic. Loensis Epiphyll. 5, 20 et Gulielm. Quaest. Plaut., eandem dictam esse Phasma, id verum est. Quos enim locos duos ex Phasmate, ut diserte additur, sumtos Festus laudat sub voc. *nec* (*Apud Plautum in Phasmate: Nec recte si illi dixeris*) et sub voc. *superescit* (*Plautus in Phasmate: Ehe tandem percipio super rebus nostris loqui te*), hi adhuc leguntur in Mostell. 1, 83 et 3, 2, 38 et 39. Binomines haud paucas fuisse fabulas tum apud Romanos, tum apud Graecos, infra videbimus. Quaeritur, utrum ambo, an unum modo nomen Plauto debeat originem. Prologo, quo alibi de his rebus docemur, caret haec fabula. Sed ni omnia me fallunt, cum latine studiosius vertere soleat Plautus nomina graecarum fabularum, quas imitatus ante oculos habuit*), equidem non possum, quin cum Osanno Viro Cl. putem, Mostellariam esse nominatam a Plauto et nomen *Phasma* posthac in usum venisse, cum Romani graecis literis magis assueti graeca tantum amare coepissent, ut etiam fabularum nomina graeca esse mallent, quam latina; quam quidem in aetatem Terentius incidit, qui ea ipsa de causa nomi-

*) Vid. prol. Asin. 10 et 11; Mil. Glor. 2, 1, 9; Mercat. 1, 1, 9 et 10.

nibus graecis fabulas suas nuncupavit *). Mirum est, quod hoc ipsum, quod dixi a Plauto verti, ab aliis servari nomina graeca, aperte et simpliciter commemoratur in supposito prologo Bacchidd., quem Silenus agit. Ibi vss. 35—37 haec leguntur:

Philemon graecam olim dedit fabulam,
Hanc qui graecissant, Euantides nuncupant;
Plautus, qui latinissat, vocat Bacchides.

Sed Poenulum aliter Plautum ipsum nominari voluisse, intelligitur ex prologo. Hic prologus, quem Lipsius de Amphith. c. 15. Plautinum, non Plauti esse dicit, mihi quidem tum sermone, tum sensu, tum metro proxime ad Plauti ingenium aetatemque accedere videtur, ut persuasum mihi sit, satis magnam partem vere a Plauto esse scriptam, haud pauca tamen posthac, nec tamen multo post, esse addita, mutata, nonnulla etiam vitiata; prior nominatim pars non a Plauto orta esse videtur. De nomine fabulae leguntur vss. 53—55. haec: *Carchedonius vocatur haec comoedia; latine Plautus: Patruus Pultiphagonides.* Quae verba quanquam interpolata esse patet iustoque negligentius scripta, tamen, quod iis docetur, de eo dubitare non licet. Incuriosius scriptum est: *latine Plautus* (vertit); negligentius additur nomen: *Patruus Pultophagonides.* Neque enim quidquam mutaverim, cum in codd. nusquam appareat varietas lectionis et locus iam antiquo tempore interpolatus esse videatur. Discimus ex his, quomodo Plautus fabulam nominare voluerit; inscripsit *Patruum Pultiphagoniden*, nisi quis maluerit *Patruum* simpliciter inscripsisse Plautum omisso vocabulo *Pultiphagoniden.* Facile enim tibi persuaseris, illud ridiculum nomen patronymicum per iocum ab interpolatore esse adiectum; sed ita non statui posse, apparebit ex iis, quae infra de hoc titulo dicentur. Postea, fortasse non ita multo post *Poenulum* hanc fabulam nominarunt, quo nomine ubique Grammatici utuntur. *Patruum* fabulam usquam vocari, nondum equidem reperi.

Verissime autem vidit docuitque Rostius de nomine *Casinae;* hoc enim non esse profectum a Plauto, luce clarius patet ex prologo, quem quidem non esse Plauti, neminem, qui legit, fugiet. Haud dubie tamen etiam hic plura servata sunt, quae Plautus ipse scripserat, nominatim quibus docetur de nomine et argumento. Videmus ex prologo Plautum inscribi voluisse fabulam *Sortientes.* Leguntur enim vss. 30—34. haec:

Comoediae iam nomen dare vobis volo:
Clerumenoe vocatur haec comoedia
Graece; latine Sortientes. Diphilus
Hanc graece scripsit; postid rursus denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.

Quod postrema vocabula *cum latranti nomine* quidam retulerunt ad nomen *Casinae*, quasi ei insit significatio quaedam canis, id quomodo fieri potuerit, nemo, opinor, intelli-

*) Cf. Osann. anal. cr. pagg. 162—164.

get; ne latine quidem praepositio *cum* ita poni potest. Accedit, quod *κάσσα* est scortum et sicuti *) a *κόρα* diminutivum fit *κόριννα*, ita *κάσσα* transiisse videtur in diminutivum *κάσινα,* cuius penultima tamen ubique a Plauto corripitur. Recte igitur, quem alii iam secuti sunt interpretes, Ian. Dousa verba *cum latranti nomine* retulit ad nomen Plauti, quem, qui prologum interpolavit, insulsius hic deridendum proposuit. Sensus igitur est: „Plautus, cui est latrans nomen." Festus enim dicit: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidae sunt et flaccidae et latius videntur patere* (vid. Taubmann. not.). Itaque Plautus quidem nominari voluit hanc fabulam *Sortientes*, ut ubique latine vertere solet graeca nomina; sed periit postea et obsolevit plane hic titulus, ita ut nusquam memoretur, et, quae fuit lascivia Romanorum, qui hac fabula haud dubie valde delectabantur, nominatimque persona Casinae, quanquam ne prodit quidem in scenam, capti tenebantur, vocata est Casina. Quod tamen, ne quid reticuisse videar, in libello isto, qui est Pomponii Festi grammatici de significatione verborum, leguntur haec: „*Casinam* fabulam Plautus „inscripsit ab ancillae nomine Casina, quam amari a sene introduxit," ex iis nil sumi posse puto, quo illa sententia impugnetur. Quo enim tempore Festus scripsit, haud dubie quarto seculo p. Chr. n., nemo adhuc suspicabatur, aliud impositum esse nomen a Plauto; quamobrem cum aliis a Plauto ipso Casinam nominatam esse putavit.

Militem gloriosum quo modo nominaverit Plautus?

Cum semel de titulis comoediarum Plauti disserere coeperim, pauca addere liceat de titulo, qui est fabulae Militis Gloriosi nomine inscriptae. Inspiciamus prologum, qui est in hac fabula actus secundi scena prima. Ibi leguntur versibus 8. et 9. haec:

Ἀλάζων graece huic nomen est comoediae;
Id nos latine Gloriosum dicimus.

Nonne apparet, a Plauto nominatam esse fabulam *Gloriosum*, quo nomine memoratur a Prisciano (ed. Krehl.) pag. 132? Sed cum milites gloriosi in comoediis frequentissime in scenam producerentur **), ibique ludibrio atque ridiculo essent, haud dubie brevi post evenit, ut haec fabula, quam antiquiori potissimum tempore apud Romanos istos bellicosiores valde placuisse in scenaque frequentius actam fuisse haud improbabile est ***), dicta sit *Miles Gloriosus* vel *Miles;* nam hoc quoque nomine saepius a Grammaticis laudatur; quemadmodum eodem a Servio in scholiis ad Virgilium adiectis haud semel *Pyrgopolinices* vocatur, ut

*) Vid. Matthiae gramm. Gr. ampl. §. 102.

**) Cf. prolog. Capt. vs. 58. et Cic. de off. 1, 38.; idem docet Boettiger. excurs. II, quem adiecit *Novae editionis Ter. specimini.* Lips. 1795.

***) Militem Gloriosum haud leviter interpolationi iam antiquitus expositum fuisse, intelligitur ex pluribus versibus, quos Palimpsestus ille Ambrosianus habet, et qui nunc in vulgaribus Plauti libris non leguntur. Vid. Osanni anal. cr. pag. 215. Inde concludere licet, etiam hanc fabulam multum fuisse in manibus hominum, qui rem scenicam amabant.

ad Aen. 4, 149. et 12, 8. Similiter Antiphanis comoedia dicta est *Στρατιώτης ἢ Τύχων*. De titulo Militis Gloriosi etiam Lessingius in dramaturgia disseruit (cap. XXI.).

De duplici fabularum nomine.

Sed cum de duplici nomine singularum fabularum semel mentionem iniecerim, haud ab re esse videtur, de illa consuetudine paullo fusius disserere. Neque enim veteribus et Graecis et Romanis inusitatum esse videmus, eandem comoediam duplici inscribere nomine. Ita scripsit Theognetus, poeta comicus, comoediam *Φάσμα ἢ Φιλάργυρον* (vid. Athen. deipnos. 3, 104. atque Men. et Philem. rell., quas edidit Meinekius, Vir Doct., pag. 572.), Menander *Ἀνατιθεμένην ἢ Μεσσηνίαν* (vid. Meinek. pag. 16.), *Ἀνδρόγυνον ἢ Κρῆτα* (ibid. pag. 23.), *Ἀῤῥηφόρον ἢ Αὐλητρίδα* (ibid. pag. 25.), *Ὑποβολιμαῖον ἢ Ἀγροῖκον* (ibid. pag. 165.). Philemonis est comoedia *Μετιὼν ἢ Ζώμιον* (ibid. pag. 369.) et *Πτωχὴ ἢ Ῥόδιος* (ibid. pag. 377.). Alia exempla comoediarum binominum plurima habes apud Athen. Deipn., quorum pauca tantum adscribere liceat. Alexidis comici est fabula *Ἄγωνες ἢ Ἱππισκος* (Athen. 8, 339.), *Λοκρὶς ἢ Ποππύζουσα* (3, 104. et 10, 431.), *Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης* (3, 95. et 107.), *Τοκιστὴς ἢ Καταψευδόμενος* (10, 431.), *Φιλόκαλος ἢ Νύμφαι* (8, 365.). Antiphanis comici est *Ἀγροῖκος ἢ Βουταλίων* (7, 304. et 313; 8, 358.), *Στρατιώτης ἢ Τύχων* (3, 103. et 6, 257.). Diphili est *Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης* (11, 496.); Eubuli *Προσουσία ἢ Κύκνος* (7, 301.). Pherecrates veteris comoediae poeta fecit *Ἰπνὸν ἢ Παννυχίδα* (13, 612.); et *Τηρεὺς ἢ Ἔποψ* Philoclis comici laudatur a scholiasta Aristophanis et a Stobaeo serm. X. et ab aliis *). Maxime in posterius tempus, quo nova colebatur comoedia, haec consuetudo duplici nomine comoedias inscribendi cadere videtur. — De tragoedia unum modo exemplum invenire potui: Ionis Chii tragici poetae memoratur *Φοίνιξ ἢ Καινεὺς* ab Athen. 3, 91; 4, 184; 10, 451. Puto duplex hic quidem exstitisse nomen eiusdem tragoediae; quod autem apud Athen. 4, 85. leguntur verba: *ἐν τῷ δευτέρῳ Φοίνικι,* ad aliam eiusdem poetae fabulam eodem nomine *Φοίνικος* inscriptam referendam esse mihi persuaserim.

Similiter apud Romanos tragoediae nonnisi rarissime binomines fuisse videntur; talis fuit tragoedia togata L. Attii (vid. fragm. trag. Both. pag. 161.), quae fuit inscripta: *Aeneaadae* vel *Decius*, quo duplici nomine plus uno loco tragoediam hanc togatam laudat Nonius (sub vocc. *verruncent*, *sanguis*, *segnitas*). Quod Naevii tragoediam Protesilaum etiam Laodamiam nuncupatam fuisse opinatur Bothius (ibid. pag. 91.), haec opinio infirmioribus argumentis nititur.

Romanorum autem comoedias si respicimus, comoediarum, quae dupliciter appellatae inveniuntur, duo sunt genera. Aliae enim ita duo habent nomina, ut unum sit graecum, alterum latinum, simpliciter natum ex versione, qua illud latine interpretati sunt aut vice versa, ubi

*) Vid. Voss. de poet. Gr. pag. 36

dubium est, utrum nomen ab ipso poeta ortum sit. Certum esse videtur, antiquiore tempore, quo graeca minus adhuc Romanis usitata erant et familiaria, potius latina, posteriore, quo magis iam in deliciis atque in consuetudine esse graeca sanctiusque coli coepta sunt, potius graeca nomina a poeta fuisse profecta. Ita Plautus, ut supra iam vidimus, graeca, quae parum adhuc vulgo frequentata videbat, latine ad unum omnia vertit; aliter Terentius, cuius tempore graecis literis artibusque atque linguae in dies magis assuescebant aequales, magis graeca nomina adamasse et imposuisse videtur *), praesertim cum ipse Graecorum literaturae studiosior esset et Scipionibus graeca admodum colentibus familiarius uteretur. Cicero, ut supra iam monitum est, Heautontimorumenon latine vocari potuisse *Se ipsum poenientem* monet Tuscul. 3, 27.

Huius generis, quo nomina tantum e versione oriuntur, quod quidem haud infrequens apud Romanos fuit, exempla si quaerimus, Caecilii Statii *Obolostata* et *Foenerator* commemoratur. Apud Nonium, Festum, Gellium aliosque modo hoc modo illud nomen legitur et recte iam alii, ut Mercerus, viderunt, unam esse fabulam, sicuti una est nominum duorum significatio. Pariter legimus apud Nonium Gelliumque (7, 9.) de Laberii comoedia, quae nominatur Catularius (vel, ut equidem maluerim, Catularia, quemadmodum Mostellaria cum Phasmate eadem est) latine, graece Scylax. Quod fortasse dicas, a grammaticis modo doctrinae speciem affectantibus versionem esse factam, hoc minus animum induces, si perpenderis, a compluribus scriptoribus et hoc et illud nomen usurpari, ut videas, in vulgus utrumque receptum fuisse. Minus recte has quidem comoedias binomines dici apparet; neque enim, proprie si rem spectas, duplex est nomen, sed unum modo, cuius diversitas tantum e sermone linguaque, non e sensu oritur.

Sed ut iam ad alterum genus veniamus, aliae sunt comoediae Romanorum, quas, quemadmodum apud Graecos factum videmus, duobus nominibus diversi sensus inscriptas invenimus, quas iure *binomines* dicere licet. Vaccam vel Marsupium comoediam Pomponii Bononiensis commemorat Priscian. 10, 3, et eiusdem poetae Aruspicem vel Praeconem Rusticum Nonius sub voc. *pariter*. Etiam in Plauti comoediis utrumque titulorum duplicium genus passim fuisse animadvertimus. E deperditis Plauti fabulis Astraba plus semel memoratur, quam eiusdem Clitellariam fuisse facile tibi persuadeas; et Mostellariam Plauti fuisse Phasma, pluries iam memoravimus. Vere deinde binominis fuit Plauti fabula, quae inscribitur Miles Gloriosus; a Servio enim laudatur nomine Pyrgopolinicis. Deinde e deperditis una inscripta fuit *Caecus;* hanc etiam *Praedones* fuisse dictam, patet ex grammatico Charisio, qui, quod mireris, unus hanc fabulam nominat, ita quidem, ut semper fere dixerit: *in Caeco vel in Praedonibus.* Bacchides etiam Chrysali nomine venisse, statui posse videtur secundum Fulgentium lib. *de prisco sermone* sub voc. *stega.* Illic Chrysalum ut Plauti fabulam laudat; versus ipse: *Forte ut assedi in stega* legitur Bacch. 2, 3, 44. Sed cum

*) Cf. Osann. anal. crit. pag. 161.

Fulgentius in universum sublestae fidei sit neque praeter ipsum quisquam huius nominis fecerit mentionem, dubitandum videtur. Osann. anal. cr. pag. 164. putat a Fulgentio fortasse esse scriptum: *Plautinus Chrysalus*, ut personam significaverit. Quod quidam, ut Bothius in fragment. et Plauti et comicorum lat. pag. 12., Boeotiam, quae fabula Plauti pariter aetatem non tulit, etiam Bis Compressam dictam esse opinantur, id unde hauserint, nescio; quin obstat auctoritas Gellii 3, 3, qui de Boeotia et Bis Compressa ita loquitur, ut unam ab altera aperte distinguat. Scripsit enim: *nec Bis Compressa nec Boeotia unquam fuit.*

Novam recensionem, quam dicunt, eiusdem comoediae passim fuisse causam novi secundique tituli, facile quisque sibi persuadebit. Eiusmodi novam recensionem a Graecis dictam esse *διασκευὴν* neque raro esse factam, neminem latet. Sic Diphilum fabulam, cui nomen fuit *Αἱρησιτείχει,* iterum edidisse atque recensuisse, denuoque aliud imposuisse nomen *Εὐνούχου ἢ Στρατιώτου* legimus apud Athen. Deipn. XI, c. 97. Verba sunt haec: *Δίφιλος δ' ἐν Εὐνούχῳ ἢ Στρατιώτῃ· ἔςι δὲ τὸ δρᾶμα διασκευὴ τοῦ Αἱρησιτείχους.*

In fabulis istis, quae duobus titulis diversi sensus inscriptae sunt, num ambo nomina a poeta ipso, interdum certe, fuerint indita, ut per se haud improbabile est, ita de singulis incertum manebit, cum grammatici de hac re nil moneant neque scire quidquam potuerint, quippe ab aetate poetarum nimium remoti. Quantum equidem memini, nusquam diserte docetur, duplici nomine a poeta ipso fabulam ullam fuisse vocatam.

Num Plautus Aululariam ipse invenerit.

Quaestio iam oritur, hanc fabulam Plautus utrum ipse invenerit, an ex graeco fonte quodam hauserit, quemadmodum Terentium omnes fabulas, et quas adhuc habemus, et quae occiderunt, ex graeco quanquam liberius transtulisse non verisimile, sed certum est*). Id in plures quidem comoedias etiam Plauti cadere, ipse poeta plus uno prologo testatur, et licet, ut supra iam monitum est, antiquo iam tempore in prologis potissimum haud levis exstiterit interpolatio, tamen illa ipsa, quibus de nomine et argumento fabularum in prologis docetur, plerumque a Plauto ipso orta et scripta esse videntur. In prologo Asinar. leguntur vs. 10. verba:

— Huic nomen graece est Onagos fabulae,
Demophilus scripsit. Marcus vortit barbare.
Asinariam volt esse, si per vos licet.

In Casinae prol. vs. 39. haec sunt:

Clerumenoe vocatur haec comoedia
Graece; latine Sortientes. Diphilus
Hanc graece scripsit; postid rursum denuo
Latine Plautus cum latranti nomine.

---

*) Cf. vit. Terentii apud Suetonium.

In prologo sive act. 2. sc. 1. Milit. Gl. habemus hos vss. 8. et 9:

Alazon graece huic nomen est comoediae;
Id nos latine Gloriosum dicimus.

Mercatorem ex Philemone translatum esse, discimus ex prolog. vss. 9. et 10:

Graece haec vocatur Emporos Philemonis;
Eadem latine Mercator Marci Attii. *)

Trinummum denique graece scripsit Philemon nomine Thesauri; Plautus vertit, vid. prolog. vss. 18. et 19. Itaque videmus in fabulis scribendis etiam Plautum secutum esse plures Graecorum comicos: nominantur Diphilus, Menander, Philemon, tres omnium clarissimi comoediae novae scriptores, Demophilus, cuius mentio alibi non videtur exstare. Duae fabulae ex graeco translatae dicuntur in prologis, Miles Gl. et Poenulus, nec tamen additur, quem poeta secutus sit Plautus. Si quaeritur, cur hic nomina poetarum reticeantur, ut primum de Poenulo dicamus, nescio an hic causam repetere liceat ab interpolatione ista, quae, ut supra iam vidimus, nominatim in hunc prologum Poenuli cecidit, etsi etiam hic Plauti fere videantur, quae ad fabulam ipsam eiusque argumentum et nomen spectant. Omissum est nomen poetae Graeci, quem Menandrum fuisse facile mihi persuaserim. Hunc enim Carchedonium scripsisse, discimus ex Athen. 9, c. 35., ubi duo versus ex illa fabula laudantur:

Ἐπιθυμιάσας τῷ Βορέᾳ λιβανίδιον
Ὀψάριον οὐδὲ ἓν ἔλαβον· ἑψήσω φακῆν,

ubi vocabula extrema *ἑψήσω φακῆν,* ut Toupius iam doctissime monuit, propius etiam accedunt ad Plautum, qui, ut supra vidimus, ipse fabulam inscripsit *Patruum Pultophagoniden*, ut fere non incertum sit, comoediam hanc Menandri Plauto ante oculos obversatam fuisse. Fortasse tamen ipse poeta Menandri nomen in prologo ea de causa omissum maluit, quod liberius composuerat comoediam, non pressius argumentum secutus fabulae a Menandro compositae. Quam quidem causam rationemque, liberius tractandi argumentum a graeco poeta iam propositum, nescio an certius cadat in Militem Gloriosum. Militis enim gloriosi partes in comoediis Graecorum admodum erant tritae et tam saepe tractatae, ut in nova comoedia tanquam stata exstiterit persona, quod ita fuisse apparet etiam ex prolog. Capt. 58. Fusius et doctissime de his militibus gloriosis stolidisque, quos pro ridiculo et

*) In ultimo versu:

Eadem latine Mercator Marci Attii

cum genitivus *Attii* prorsus alienus sit ab usu et aetate Plauti (cf. quae docet Bentlei. ad Terent Andr. 2, 2, 20.) haud scio an cum Bothio scribendum sit *Marci Attici.* In codice, quem dixerunt Veterem, et in Decurtato *Mactici* et *Mattici* legitur. Iocosius se fortasse dixit Plautus ipse *Atticum*, scilicet animadvertens, graeca magis in consuetudinem et in delicias venire. Et iure iam attulit Bothius ex prologo Men. vss. 11. et 12.

Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non Atticissat, verum Sicilicissitat.

delectamento habebant et Graeci et Romani in comoediis suis, non cives honestos, sed mercenarios istos et peregrinos humilique genere ortos, scripsit Boettigerus in excursu II, quem supra iam memoravi, novae editionis Ter. specimini adiecto. Itaque cum haud dubie hic non certum quendam poetam eiusque fabulam secutus sit Plautus, non potuit nominare poetam ut certum illum, a quo vere mutuatus sit fabulam et latine verterit. Quod in prologo Plautus dixit: *Alazon Graece huic nomen est fabulae*, generatim significari puto fabulam huius argumenti; neque enim usquam reperi, hoc nomine graecam ullam comoediam fuisse inscriptam. *Στρατιώτην* tamen comoediam, ut apud Athenaeum legimus, scripsit Alexis (6, 223.) et Philemon (ibid. 7, pag. 288.) et Diphilus (ib. 11, 496. et 15, 700.) et Antiphanes (ibid. 3, 103; 6, 267. et alibi). Fortasse tamen *Ἀλάζονα* scripserat poeta quidam ignobilior.

Aliae tandem fabulae, quanquam prologos habent, tamen, unde originem traxerint, prorsus reticetur. Hae sunt Captivi, Menaechmi (quae comoedia Syracusis agitur), Pseudolus, Rudens, Trinummus, Truculentus, Amphitruo. Has quidem fabulas ex Graeco esse ortas, ne verbo quidem memoratur. Amphitruonis argumentum mythicum plus semel a graecis comicis, etiam a latinis quibusdam, tractatum esse, ita quidem, ut admodum ridiculae inde existerent comoediae, doctissime nuper probavit Osannus in Museo Rhenano *). Eiusmodi argumenta a rebus mythicis petita et in ridiculum conversa potissimum in comoedia Dorica Siculaque obtinuisse, notum est, ut, quod Horatius in universum dixisse videtur, Plautum *ad Epicharmi exemplar properare* Epistol. 2, 1, 58, id nominatim in fabulam istam, quae Amphitruo inscripta est, cadere putari possit. Quem quidem locum Horatii ab interpretibus mille modis tentatum, ut obiter id moneam, ne nimium serio iustoque strictius a poeta Venusino scriptum accipiamus loci ipso textu monitos nos existimo. Cum parum enim Horatius ipse veteres Romanorum poetas probet ametque **), subtiliorem in illo loco inesse censeo ironiam, ad quam haud dubie ipsum verbum *properare* insolentius dictum referri debet. Itaque, ut modo significavi, ego quidem non possum, quin opiner, Horatium, quippe qui paullo iracundior et iusto fere studiosior Graecorum fuisse videtur, cum de Plauto et de Epicharmo ista scriberet, ante oculos inprimis habuisse Amphitruonem istum, qua quidem comoedia Plauti mirum quantum semper delectatos esse spectatores, patet etiam ex eo, quod *Iovem* ipsum *animos ponere* putabant Romani, si illa fabula in scena pronunciaretur, ut dicit Arnobius advers. Gent. libr. VII.; ut nil memorem, copiosiorem etiam esse indicem locorum, qui ex Amphitruone a Grammaticis memorantur neque in fabula, qualia adhuc a nobis legitur, inveniuntur; unde intelligitur, multum a multis hanc fabulam esse tractatam manibusque versatam. Scio tamen, Virorum quorundam doctrina insigniter ornatorum sententiam eam esse, ut censeant, Amphitruonem Plauti non tam ortam esse ex imitatione quadam Epicharmi, quam

*) Inspicias partem, quae vocatur: 2. Jahrg. 3. Heft, pagg. 305—335.

**) Vid. epist. ad Pis. vss. 270—275.

Rhinthonis istius comici, qui Syracusis natus circa Olympiad. 120. Tarenti floruit, a quo traxerit hilarotragoedia originem. Ita statuerunt Vir Summe Venerabilis Eichstaedt. et nuperrime Vir Clarissimus, Petersen. Hamburgensis *). Uterque suis argumentis haud male usus est. Sed quamquam vere disputatum videatur, tamen ab Epicharmo, utpote multo antiquiore, totum hoc genus comoediarum in universum exiisse, et vulgo, quamquam paullo indoctius et negligentius, Epicharmi, ut inventoris, nomine nuncupatum esse censeo, ut, si quis seria atque sacra, ex rebus mythicis repetita argumenta iocosius et comice tractare auderet, etiamsi propius ad Rhinthonem istum accederet, tamen Epicharmi imitator vulgo vocaretur. Notum tamen est, a Rhinthone isto vere compositam esse comoediam, quae inscripta fuit Amphitruo; vid. Athen. 3, pag. 111.

Sed, ut redeam, idem Osannus, Vir doctissimus, ostendit, suo modo viaque plane peculiari usum esse Plautum, neque, etsi a Graecis in universum repetierit argumentum, pressius tamen quenquam comicum ut exemplum secutum esse. Et haec, ni fallor, est causa, cur ipse Plautus ne leviter quidem significaverit, unde sumserit argumentum fabulae, quam Amphitruonem inscripsit. Suum sibi fecerat argumentum maiorem etiam in modum, quam ut curaverit, a Graecis idem iam pluries esse tractatum.

Et ita etiam de Aulularia iudicandum censeo. Graeci comici saepissime proposuerant personam hominis mirum in modum tenacissimi parcissimique et sordibus prorsus dediti; ridicule tractantes fabulam modo hoc modo illo nomine inscripserant, quamquam sunt etiam, qui nomine satis aperto *φιλάργυρον* huius argumenti comoediam nominaverant, ut Dioxippus (vid. Athen. 11, 472. et 496. et 503.), Philippides (ibid. 14, 640.), Theognetus (ibid. 3, 204.). Theogneti fabula fuit binominis; legitur enim apud Athen. *Φάσμα ἢ Φιλάργυρος*; num inde, ut occasione data obiter hoc moneam, Plauti Mostellaria orta sit, quemadmodum esse contendit Buttmannus**), id eo incertius est, cum in Plauti Mostellaria senes isti Theuropides et Simo neutiquam iusto parciores appareant. Hoc attendi malo, alterum titulum etiam huius fabulae esse *Φιλάργυρον*. Cum enim, ut vidimus, tam saepe in scena *τοῦ φιλαργύρου* persona a veteribus comicis poetis perstringeretur, fieri non potuit, quin, ut Militis Gloriosi, sic etiam haec *τοῦ φιλαργύρου* persona iam mature fixam quasi certamque acciperet formam speciemque, et ut, sicuti dicta, quae acutius breviusque ac facetius generatim de aliqua vitae quotidianae ratione et causa enunciantur, praesertim si aut loco nobiliori aut ab homine illustriori proferuntur, altius animo insidunt et facillime memoriae infixa tenentur, ita etiam *τοῦ φιλαργύρου* persona quasi in ipsam vitam vulgarem usumque hominum communem transiret. Id quod factum est etiam de aliis huiusmodi personis scenicis, quas ex fabulis scenaque apud veteres in consuetudinem ita venisse videmus, ut iam in usu

*) Ille in libello, quem scripsit *de dramate Graecorum comico-satyrico* Lipsiae 1793, hic in ephemeridibus, quae inscribuntur: *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft von Dr. Zimmermann*, 3. Jahrg. 6. Heft. 1836.

**) In Meinekii fragmentis Men. et Phil. pag. 572.

vitae quotidiano atque communi quasi proverbialiter commemorarentur, nomine et charactere sic certo dato et impresso, ut a semel receptis vix abire liceret poetis. Neque ita accidisse mirum est. Nam cum fere nimius existeret amor, quo veteres et Graeci et Romani rem scenicam, potissimum comoedias, in deliciis habebant, ex repetitione frequentiori unius eiusdemque personae certa quaedam imago denique fixa tanquam animis inhaerere coepit; id quod quantum et quousque paulatim in usum venerit vulgoque obtinuerit, videre licet ex Iulio Polluce, qui in Onomastico haud pauca disseruit de eiusmodi personis tragicis, satyricis, comicis, quas vulgus in vitam fere quotidianam receperat, et quae certa et perpetua fere lege, forma et specie omnibus in fabulis in scenam producebantur. His personis adnumerandus est etiam senex morosior itemque parcissimus et sordide tenax; etiam haec persona, quae in comoediis saepissime repraesentari solebat, certam propriamque induerat speciem. Eiusmodi autem senem vulgo *Chremetem* dictum fuisse, invenimus; quo nomine proprie significari eum, qui crebrius exscreat, docent lexica; eodem sensu etiam *χρέμυλος* dicitur. Quis autem ex Graecorum comicis primus aut omnium optime hoc nomine eiusmodi senem in scenam induxerit, ignotum est; hoc certum, illud nomen deinde cum persona in consuetudinem adeo abiisse, ut ubique in ore hominum esse coeperit. Sic apud Athenaeum 6, 1. leguntur verba: *Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται·* quo senario Chremes et Pheidon duo comicorum senum sunt nomina, admodum iam vulgo recepta. Quod alterum nomen adiicitur *Φείδων*, ex eo magis patet, quales senes sint intelligendi. In illum modum Horatium videmus plus semel Chremetis, ut senis partim morosioris, partim iusto parcioris et sordide tenacis mentionem facientem; Epod. 1, 33. dicit:

Quod aut avarus ut Chremes terra premam,
Discinctus aut perdam ut nepos;

add. Art. poet. 94. et Satir. 1, 10, 40.

Itaque Horatii tempore illud nomen adeo iam in vulgi usum abiisse videmus, ut Chremes quemcunque senem iusto morosiorem et sordidiorem repraesentaret. Neque recte fecisse videntur, qui quaesierunt, quem comicum poetam ante oculos hic habuerit Horatius, et ex qua fabula hunc Chremetem sumserit, quemadmodum ipse Acron, Horatii scholiastes, opinatus est, Terentii Chremetem esse intelligendum; scripsit iste ad Epod. 1, 33: *Ut Chremes] nomen in Terentio divitis et tenacis**). Bene alter scholiastes Horatii, Porphyrion, ibidem apponit: „*Chremes* nomen senis est in comoediis; ibi enim senes fere avari fin-

*) Immo apud Terentium aliter, atque posteriori tempore apud Horatium, Chremes, qui in Andria in scenam prodit, animum ostendit sedatiorem placidumque, utpote studiosus omnia per pacem componendi et fere amabilis; nec multum aliae partes sunt Chremetis, qui est in Heautontimorumeno; prudentiam vitae hic prodit et facilitatem quandam aliis suadendi. Neuter tenacior vel morosior conspicitur, quam fas est; quamobrem Horatianus iste Chremes parum est similis illorum duorum senum Terentii. Paullo tamen propius ab ista tenacitate abest ille Chremylus, quem in scenam produxit Aristophanes in Pluto.

„guntur.“*) Nihilominus a Menandri fabulis ortam esse consuetudinem, ita nominandi senem morosiorem divitemque et simul sordidiorem pecuniaeque tenacem, non sine causa quidem opinari licet, quippe cum φιλαργύρων saepissime mentionem fecerit ille poeta comicus; quod etiam intelligitur ex epistolis Alciphronis, quem Menandri amore et lectione admodum captum fuisse scimus. Qui Alciphron ut plurima loca Menandri in suas epistolas transtulit, ita plus semel commemorat illos senes tenaciores a Menandro acrius perstringi**). Ipsum Chremetis nomen saepius apud Alciphronem legitur ex Menandri comoediis depromtum.

Quae cum ita sint, ut iam redeam, unde digressus sum, plures exstitisse verisimile est Graecorum comoedias, quibus senum tenaciorum mores perstringebantur; eoque facilius Plautus animum inducere potuit, ut ipse fabulam componeret eiusdem argumenti, quae iam inscripta est Aulularia. Suo tamen modo tractavit argumentum et, etiamsi quendam fortasse poetam magis secutus sit, id fecit tamen liberius, neque huius rei rationem reddere voluit in prologo. Hoc enim interest inter Plautum et Terentium, quod iste minus curiosus est in vertendis Graecorum fabulis et ratione reddenda, hic diligentior. Ceterum etiam Naevii et Laberii Aulularia memoratur.***)

De tempore, quo Aululariam scripsisse videtur Plautus.

Quo tempore hanc comoediam Plautus composuerit, clarius non apparet. Quod enim in aliis fabulis nonnulla passim significantur maxime ex rerum Romanarum historia, ex quibus de tempore coniici possit, in Aulularia, quamquam hic quoque plurima sunt, quae e Romanorum moribus et consuetudinibus, e reipublicae institutis atque e religione sunt repetita, ut quae leguntur de Fide, de Silvano, de legibus quibusdam, de luxu, de re culinaria, tamen nil investigari posse videtur, unde accuratius temporis, quo facta sit fabula, ratio institui possit. Ita esse, iam animadvertit Vir Clarissimus, *Frid. Windischmannus*, qui in Rhenano Museo****) de didascaliis nonnullis Plautinis scribens plura protulit, quae ad temporis rationem spectant, quo singulae Plauti fabulae compositae videantur. Ille pag. 124. haec habet: „In Aulularia, Bacchidibus, Curculione, „Epidico, Mercatore, Mostellaria et Sticho me nihil invenisse fateor, unde de earum fabu„larum tempore coniectura capi possit.“ Nuperrime de eadem se scripsit Hamburgensis Vir Doctissimus, *Petersen.*, in ephemeridibus Philologicis, quas in publicum edit Zimmermannus*****). Ille Vir Clarissimus paucissimis tantum verbis illic pag. 648. de Aulularia lo-

---

*) De isto Horatii Chremete legantur, quae ad Epod. 1, 33. scripserunt Mitscherlich. et Doering.; cf. Meinek. fragm. Men. et Phil. pag. 81.

**) Vid. epist. 2, 4, 50. ed. Bergl. pagg. 252. et 253.

***) Vid. fragm. comic. Both. pag. 203. et 208.

****) Inspiciatur pars, quae vocatur: 1. Jahrg. 1. Heft 1832. pagg. 110—124.

*****) Titulus est: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1836. Nr. 75—77.; dissertatio inscripta est: Bestimmung der Zeit, in der einige Plautinische Stücke zuerst aufgeführt sind.

quitur et causis nequaquam adiectis simpliciter scribit, Aulaulariam post Cistellariam, quae omnium prima anno 216. a. Chr. n. sit edita, cum Casina proxime a Plauto scriptam atque in scenam productam esse; hoc tempus cadere in unum ex annis 215—212 a. Chr. n., in primam aetatem, qua Plautus in universum fabulas edere incepit. Cur Cistellariam et Casinam tam mature a Plauto compositas esse statuerit, pluribus explicat pag. 614.; sed de Aulularia cum ipse planius clariusque nil adiecerit, pariter scilicet ille carens certioribus argumentis vestigiisque ex rerum Romanarum historia petitis, coniicere licet, ad istam sententiam adductum esse Virum Doctissimum interna modo natura fabulae et indole, quae ipsi priorem aetatem Plauti significasse videtur. Ex iis vero, quae de indiciis, ex quibus de maturiore fabularum origine coniicere liceat, pag. 617. disseruit, in universum patet, prius, quo singulae fabulae a Plauto scriptae sint, tempus ab ipso intelligi atque coniici ex maiore facetiarum, leporum iocorumque alacritate et vigore, qui tamen coniunctus sit cum minore cura diligentiaque, adhibita ad mores describendos pingendosque atque ad fabulae oeconomiam, quam dicunt. Sed hoc ipso in loco non possum, quin in aliam sententiam discedam. Quantum equidem video, Aulularia est ex iis fabulis, quas perfectissime Plautus composuit, sive facetias iocosque respexeris, sive mores, sive fabulae descriptionem, ut facile mihi persuaserim, media aetate a Plauto esse conscriptam. Tota dispositio prae se fert maiorem quendam ingenii cultum; exercitatiores conspicuae sunt vires in scribendis comoediis; omnia optime inter se cohaerent et bene sunt dispensata. Ioci insunt et sales admodum vegeti; purior tamen est sensus, et proba cogitandi vivendique ratio. Pessima quaeque improbantur et plus semel exemplum proponitur pietatis morumque admodum simplicium et honestorum. Simul summa alacritas conspicitur et actionis et orationis, sermonisque quasi iuvenilis ardor; in locis, ubi vehementius assurgit animorum motus et affectus, aptissime respondent metra valde motoria; qui sales denique iocique fabulam condiunt, ii ut sunt alacriores vividique, ita in universum elegantiores dici debent et fere selecti. Ex omnibus his patet, maturiori quidem et virili, sed non senili, non iuvenili aetate hanc fabulam poetam fecisse. Accedit, historice si rem spectaveris, quod, quae de luxu iustoque maiore sumtu acrius vituperantur atque perstringuntur, ea magis cadere puto in virilem Plauti aetatem, in illud imperii Romani tempus, quo rerum iam potiri coeperunt Romani per Africam, per Hispaniam, per Graeciam, per Asiam, in ista tempora, quae sunt ab anno 200. usque ad annum 190. a. Chr. n. Mortuus est Plautus, ut legimus apud Ciceronem Brut. cap. 15., Coss. P. Claudio, L. Porcio, 183. anno a. Chr. n.

Quo loco Aulularia agatur.

Quibus locis agantur fabulae, haud semel in prologis monitum reperimus aut aperte, aut tectius. Sic Thebae nominantur Amphitr. prol. vs. 97, Epidamnus Mercat. prol. vs. 168., Ephesus Milit. Glor. 2, 1, 10., Calydon Poenul. prol. vs. 93., Cyrenae Rud. prol. vs.

32., Athenae Truculent. prol. vs. 3. In Aulularia prologo de loco, quo fabula agatur, nil legimus. Athenas tamen esse apparet ex versu 3, act. 5., ubi haec leguntur:

Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui di sint propitii?

Athenis autem maxime geri voluisse poetas res et actiones fabularum, testatur, qui prologum composuit Menaechm., vss. 7—9:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis:
Omnes res gestas esse Athenis autumant,
Quo vobis illud graecum videatur magis.

Ceterum hos versus, sicuti totum fortasse prologum, non ita multo post Plautum, isto tamen tempore scriptos esse patet, quo Romae graeca iam magis amabantur atque vulgo ubique fere recepta et usitata erant, quemadmodum ipse iam Terentius omnes, quas adhuc habemus, fabulas Athenis agi finxit; nam etiam Heautontimorumenos agitur in vico, qui Athenis est admodum vicinus atque suburbanus. Hoc tamen Plautus non curans modo hic modo illic, locis admodum inter se variis, fabulas suas agi voluit, Graecis exemplis hoc nomine haud dissimilis, ubi haud dubie, in nova potissimum comoedia, loca scenicae, ut ita dicam, actionis pariter erant admodum diversa.

In scena quae conspicua fuerint, cum Aularia ageretur.

Quando Aul. agebatur, in scena, quae proprie vocatur, aedes Euclionis, cuius primae sunt partes, repraesentatas esse, patet ex prologo, ubi pronomine *hic*, quo, ut neminem latet, res praesentes ostenduntur et quod illic saepissime scriptum legitur, Euclio eiusque aedes indicantur. In scena porro conspicuae fuerunt fores domus Megadori; id quod etsi ex prologo minus intelligitur, manifestius apparet cum ex aliis locis, ubi Megadorus eiusque domestici ex domo sua exeunt intrantque, tum maxime ex 4, 1, 18. („*huic* Megadoro dari"), ubi similiter pronomine *huic* probatur, in scena apparuisse domum Megadori; denique in scena fanum lucumque Fidei conspici, maxime intelligimus ex scena 2. actus 4., ubi ex fano Fidei senex Euclio exit et egrediens verba adhuc facit ad Fidem; adde versus 5. et 6. actus 4. Nescio an aut Euclionis domus fuerit media aut fanum Fidei. Hortus adiacet Megadori (cf. 2, 2, 66.), aedibus haud dubie conterminus. In ipso proscenio ara, aut, quod maluerim, statua stetisse videtur Bonae Fortunae, vid. 1, 2, 22—24. Ita demum si statueris, probe expediuntur haec verba:

Eucl. Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
Staph. Pol ea ipsa, credo, ne intromittatur, cavet;
Nam ad aedes nostras nusquam adiit, quamquam prope est.

De duobus istis carminibus minoribus, quibus de Aululariae argumento exponitur.

De argumento Aululariae summaque actionis non est, quod ipse dicam; quippe de argumento satis superque ab omnibus disseritur, qui hanc comoediam sive singulariter, sive cum aliis Plauti fabulis ediderunt. Sed pariter, ut apud Terentium de comoediarum singularum argumento exponitur periochis istis, quae a Caio Sulpicio Apollinari *) confectae vulgo feruntur, ita apud Plautum comoediis singulis praemissa exstant minora carmina versibus senariis facta, quae, ut de argumento docent, ita ipsa inscribuntur *argumenta.* Quatuor fabulis, Amphitruoni, Aululariae, Militi Glorioso, Mercatori sunt duo eiusmodi argumenta, alterum ἀκροςιχὶς, ceteris singula modo, ubique ἀκρόςιχα, quae a Prisciano grammatico confecta esse voluerunt. Cuius sententiae vulgo traditae quis auctor fuerit, si quaerimus, remittimur ad *Guarinum* Veronensem philologum admodum celebrem, qui medio saeculo decimo quinto Venetiae et Ferrarae vixit. Hic „inter cetera, quae de Prisciano refert, poeticen quoque tractasse „illum et in Plautinas fabulas singula argumenta scripsisse probat." Haec de illo Guarino sunt verba Longolii, quae leguntur ad Plauti Amphitr. Argument. I. apud Boxhorn. Cum ipse Guarini librum, quo ista protulit, non habeam, quomodo probaverit, dicere nequeo. In libris MSS. Plauti, quantum scio, nusquam Prisciani fit mentio; simpliciter nominantur *Argumenta*, auctore haud commemorato.

Sed quisquis fuit auctor, hoc certum est, illa carmina sive argumenta conscripta esse metro admodum concinno, et satis antiquo sermone puroque et fere Plautino, nominatim in ἀκροςίχοις istis, in quae haud raro dictiones et verba e Plauti ipsius fabula translata sunt, elegantius in unum consarcinata. Ἀκροςιχίδας illas Lingius, Vir Celeberrimus, in libello, quem „de hiatu in versibus Plautinis" **) conscripsit, pagg. 21. et 22. Prisciani esse negavit et Plauto ipsi vindicandas censuit ob numerorum et dictionis praestantiam, praesertim cum in ipsis codd. quibusdam vestigia exstarent, e quibus verisimile esset, ἀκρόςιχα illa Plauto iam olim tributa esse; a Grammaticis etiam ex illis versus nonnullos ut Plauti laudari. Contradicit Lindemannus, Vir Doctissimus, ut vides ex iis, quae monuit ad Argumentum ἀκρόςιχον Captivorum, ***) quamquam idem ob sermonis elegantiam concedit haec argumenta Prisciano quidem antiquiora videri, et fortasse ad auream usque aetatem adscendere atque ad antiquius fere tempus latinae linguae pertinere. Quod iure recteque dici, facile tibi persuadeas; accedit, quod, quo magis a primo inde tempore, postquam ediderat Plautus fa-

---

*) Fuit hic celebrior Grammaticus, praeceptor Pertinacis imperatoris; vid. Gell. 2, 16; 4, 17. et alibi.

**) Totus titulus est: „Quaestionum Plautinarum liber primus, sive de hiatu in versibus Plautinis. Vratislav. 1817."

***) Captivos cum Milite Glorioso et Trinummo ille Vir doctrina admodum insignis edidit Lipsiae 1823; singulatim edere idem Plauti fabulas coepit apud Teubnerum annis 1827, 1830 et 1834.

bulas, usque ad ultimam rerum Romanarum aetatem, Plauto Romani delectabantur, eo frequentius poetam hunc comicum sibi dilectum ita tractabant, ut adeo lusibus istiusmodi ad eum pertinentibus se committerent. Antiquissimo autem tempore exstitisse istiusmodi *ἀκροςιχίδας*, etiam ex Cicerone discimus, qui in libro, quem scripsit de divinatione, libr. 2. cap. 54. §. 111. ab Ennio iam *ἀκροςιχίδας* factas esse commemorat, quin in Sibyllinis libris addit vestigia huiusmodi versuum exstare. *)

De duobus supplementis Aululariae.

Sed, ut pergamus, Aulularia, qualis adhuc legitur, non ad finem perducta ad nos pervenit; mutilam et imperfectam habemus; quod eo gravius dolendum est, quo magis prae ceteris haec fabula commendata est praestantia sua atque elegantia. In omnibus codicibus MSS., quotquot quidem hucusque innotuerunt et inspecti sunt, fabula est manca finemque habet act. 5. sc. 1., ubi Lyconides et ipsius servus Strobilus, ille alter a Strobilo servo Megadori diversus, inter se colloquuntur. Illic ultimus est versus 22.

— Vel hercle enica, nunquam hinc feres a me.

Inde iam leguntur duo supplementa**); priore finis tantum imponitur isti colloquio, quod est inter Lyconidem et Strobilum. Hoc, ut nuperrime Vir in his studiis unicus, Ritschelius***), in libello isto, in quo de re critica ad Plautum pertinente disseruit, pag. 200. detexit, primum legitur in editione Ioh. Baptistae Pii Bononiensis, quae prodiit mense Ian. 1500; auctorem huius supplementi ignoramus; sed paullo antiquius esse videtur, quam alterum supplementum, quod pariter annectitur versui, quem supra iam apposui, vicesimo isti, qui ultimus est act. 5. scen. 1. Huius, ut vulgo notum, auctor est Antoninus Codrus Urceus, Prof. Bonon., qui vixit saeculo 15. sub impp. Sigismundo et Friderico III; de vita eius nonnulla adiecta habes in Bothii maiore editione Plauti, quae Berolini annis 1809-11 prodiit, tom. 4. pag. 121. Hoc Codri supplementum Ritschelius ibid. pag. 206. docet primum legi in editione Philippi Beroaldi, quae sub finem anni 1500 prodiit. Quod significavi in nullis libris manuscriptis legi duo ista Aululariae supplementa, Meursius illud, quod priore loco memoravi, in codice *suo* MS. invenisse se dicit et a Plauto ipso profectum censet. Sed iam Bothius****) monuit, non multum Meursii codici isti tribuendum esse, quippe qui adeo pro Apographo editionis Iuntinae habendus videatur; saeculo demum decimo quinto non posse non ortum esse, utpote in quo etiam posterius Urcei additamentum exhibeatur. Neque aliter fere de hoc codice iudicasse videtur Ritschelius in Mus. Rhen. pag.

*) De istis *ἀκροςίχοις* disputavit etiam Barth. Advers. 53, 5.

**) Vid. Plaut. edit. Taubm. 4. anni 1612 pag. 1265.

***) Vid. Mus. Rhen. partem, quae inscribitur: 4. Jahrg. 2. Heft.

****) Ibid. tom. 4. pag. 119.

203. et contradicit Niebuhrio, qui de priori isto supplemento, cuius auctorem nescimus *), ita statuit, ut ipsi fere Plautinum videatur. In universum Ritschelius **) persuasissimum sibi esse dicit, scenarum istarum, quaecunque feruntur suppositae, excepta illa, quae inde a Camerario demum ad finem Poenuli tanquam supposita adiiciatur, quippe quam Plauti vere esse ipse iudicat, nullam omnino a Plauto profectam, immo ad unum omnes circa medium finemque demum decimi quinti saeculi compositas subditasque esse. De qua quidem re certius iudicium si penes quenquam esse potest, is certo est ille Vir doctissimus, quem vere mirabilem assiduitatem atque diligentiam et summam subtilitatem in studia haec Plautina adhibuisse iam luculenter testantur, quae hucusque ab eo de Plauto sunt tractata. Hoc neminem, puto, fugiet, quanquam ista supplementa passim non penitus aliena sunt a Plautino sermone et ingenio, plurima tamen in iis esse absurdius, frigidius insulsiusque dicta, ut non dicam de mira ista metrorum perversitate; summam duritiem et inconcinnitatem deprehendimus potissimum in senariis Codri et graviora vitia, quibus in accentum vocabulorum philologus iste saeculi decimi quinti saepenumero peccavit.

Sed quamquam imperfecta nobis est relicta Aulularis, tamen qui eius fuerit exitus, non latet. De exitu docemur ultimo versu argumenti, quod est ἀκρόςιχον:

Ab eo (Euclione) donatur (Lyconides) auro, uxore et filio.

Unde videmus, Lyconidi contigisse tandem, ut sponsam, Euclionis filiam, acciperet uxorem simulque aurum sive aulam auri, quod haud dubie Euclio sua sponte futuro genero suo committit; animum celerius senex mutasse videtur, similem fere in modum, atque apud Terentium in Adelphis iusto etiam citius Demeam senem, morositate abiecta, mitiorem evasisse dixeris.

De actibus et scenis Aululariae.

Sed, ut propius iam ad Aululariam accedamus, paucis docendum videtur, quomodo in actus et scenas fabula sit dirimenda. In libris MSS. neque scenae neque actus fabularum notantur; partes tantum a partibus et alia ab aliis distinguuntur nominibus personarum super singulas scenas signatis, ut pateat, ab editoribus demum, qui vulgo nunc dicuntur, sub finem medii aevi istam distinctionem, qua per actus et scenas singulae fabulae disponuntur, ortam esse. Quo autem tempore apud Plautum in libris typis exscriptis fabularum actus notari coepti sint, Ritschelius docet ad Bacchid. ed. mai. pag. 9. Eius verba sunt haec: „Actibus Plautinas fabulas dispositas non ante Venetam a. 1511. reperimus, sed in qua tot „actus numerentur, quot sunt scenae, XXIII. igitur in Bacchidibus. Fallitur enim Niebuh„rius opusc. histor. et philol. pag. 176. Quos nos hodie actus appellamus, primus in com-

*) Vid. quae Niebuhr. scripsit in commentariis, qui inscribuntur: Abhandlungen der histor. philol. Classe der Königl Berlin. Academ. der Wissensch. aus den Jahren 1816 und 1817, Berlin 1829 pag. 277.

**) Vid. Mus. Rhen. pag. 188.

„mentario descripsit Io. Bapt. Pius*); in editionem suscepit Angelius**), non hic tamen „singulas scenas nisi praemissis personarum nominibus notans. Secutae ex antiquioribus „Lucae Canonici editio Veneta a. 1518 et Aldi Veneta a. 1522, 8.“ Itaque manifestum est, quod fabulae in actus dirimuntur, hoc quidem minime niti codicum MSS. auctoritate fideque, quippe in quibus huius divisionis vestigia nulla apparent, sed solis veterum grammaticorum praeceptis, quae homines docti, qui Plauti fabulas typis exscribendas curarunt, secuti sunt. Quis vero nesciat, hanc consuetudinem fabulas in actus distribuendi non in Graecos, sed in Romanos cadere, neque a Graecis, sed a Romanis quinarium istum actuum numerum servari? Apud Graecos enim antiquiores quidem tres potissimum distinctas esse partes fabularum, prologum, episodium, catastrophen, ex Aristotelis art. poet. cap. 12. discimus; nam quamquam illic de tragoedia sermo est, haec tamen res ad totam rem scenicam pertinet, et ad tragicam, et ad comicam. Choro autem singulae partes separabantur. Hic tamen numerus ternarius brevi in quaternarium abiisse videtur, episodio in duas partes distracto, in protasin et in epitasin; id quod docet Donatus in isto fragmento *de comoedia et tragoedia****), ubi haec habemus: „Comoedia autem dividitur in quatuor partes, prologum, „protasin, epitasin, catastrophen;“ illic enim de Graecorum, non de Romanorum fabula scenica sermonem esse puto, etsi in universum fragmentum hoc valde mutilatum esse opinor. Cum vero iam apud Sophoclem, ut in Oedipo Tyranno †), quinque fere partes facile discerni possint, quod nescio an magis etiam in comoediam ceciderit ††), fortasse iam apud Graecos, ut ipse Evanthius significat, in *nova* comoedia isti quinque actus sunt orti; unde Romani receperunt, firmaque fere lege numerum quinarium servarunt, sicuti iam apud Horatium legimus, qui in Arte Poetica, versibus 189. et 190:

Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci volt et spectata reponi. †††)

legem hanc proponit religiosius poetis servandam. Qui enim aliter fieri potuisset, ut Romani ita statuerent, nisi praeivissent Graeci, quos in his rebus Romani fere unice secuti sunt?

Post Horatium de actibus disseruerunt posteriores grammatici, ut Donatus passim in scholiis, quae ad Terentium dedit, ut in argum. Andriae sub fin., in praefat. ad Adelph., in argum. Hecyrae; porro de actibus scripsit Evanthius quoque in commentario, quem iam

---

*) Cuius editio Mediolan. anno 1550 in lucem prodiit.

**) Cuius editio prodiit Florent. anno 1514, apud Iuntam.

***) Legitur in Westerhovii editione Ter. a. 1726 tom. I, pagg. LVII—LIX.

†) Cf. Blümner. *de Sophoclis Oedipo rege*, Lips. 1788.

††) Cf. Evanthius *de tragoedia et comoedia* pag. LV. in Westerhovii edit. Ter., tom. I, ubi leguntur verba: „Comoedia vetus, ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus „processit, ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam comoediam sic pervenit, ut in „ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus iam relinquatur choro.“

†††) Quidni scribamus hic: „— et spectata *reposci?*“ Putaverim tamen, hanc coniecturam, ut facilem, ita commodam, ab aliis iam propositam esse.

memoravi, *de trag. et comoedia.* Horum igitur grammaticorum praecepta homines docti, qui Plautum ediderunt, secuti saeculo demum decimo sexto ineunte fabulas in actus describere coeperunt, quod brevi vulgo receptum est. Ipse *de actibus et scenis apud Plautum et Terentium* scripsi in libello, qui Gubenae anno 1813 prodiit; quam illic proposui rationem in Aulularia actus ordinandi, eandem esse video Bothii in suis Plauti editionibus, quamquam non consentientis de initio quinti actus, et Koepkii, Viri doctrinae elegantia admodum insignis, in versione germanica *). Minus actuum dispositionem curavit Vir Celeberrimus, Goellerus, qui edidit Aululariam Colon. ad Rhen. 1825; is secutus est plane vulgarem ordinem, qui est apud Taubmannum, quamquam idem scenarum numerum ordinemque plus semel aliter disposuit.

Ex illa lege, secundum quam actus finiuntur novique incipiunt, non modo vacuum esse debet proscenium ab omnibus personis, sed, quod magis etiam observandum est, novam partem actionis eamque graviorem inchoari, atque intervallum quoddam intercedere oportet. Hoc et illud ubi fit, ibi actus mutantur. Ex hac lege, si res accuratius respicitur, in Aulularia actus quinque hoc ordine statui debent:

Secundus a scena, quae initium habet a verbis:
„Velim te arbitrari, me haec verba frater;"
Tertius a scena, cuius initium est:
„Postquam obsonavit herus et conduxit coquos;"
Quartus a scena, cuius initio sunt verba:
„Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego prosequor;"
Quintus a scena, quae incipitur a verbis:
„Dixi tibi, mater; iuxta rem mecum tenes"

In aliis Aululariae scenis, quamquam in temporis quidem punctum, ut aiunt, vacua sit scena a personis, extemplo tamen sine intervallo, quod facile quisque videt, aliae personae intrant neque actio interrumpitur. Sic act. 2. scen. 7. (edit. Taubm.), postquam coqui decesserunt in domum, sine mora Pythodicus, haud dubie Megadori villicus, in scenam intrat ex horto, ubi fodi iusserat Megadorus 2, 2, 66; egrediens alloquitur adhuc servos iubetque ibi opus bene curare, atque pauca in scena locutus in aedes eiusdem Megadori intrat. Sic de loco statuendum videtur mirorque, a quibusdam aliter doceri; neminem certe latebit, intervallum non intercedere, neque actionis novam gravioremque partem hic exoriri. Eundem in modum, simulatque Pythodicus domum Megadori ingressus est, statim in scenam sua ex domo venit Euclio, et Euclionem abeuntem illico subsequitur ex domo Megadori Anthrax, quem senarios novem in scena locutum similiter sine mora sequitur Congrio. Itaque non sunt intervalla in fine scenarum actus secundi, neque sextae, neque septimae, neque octavae, neque actus tertii in fine scenae primae, ubi Euclio statim sequitur Congrionem. Quamquam

*) Inscriptus est liber: *Lustspiele des Plautus, deutsch wiedergegeben*, Berlin 1809.

infitias non eo, in hac fabula paullo maiorem laxioremque esse hanc personarum mutationem, secus atque alibi a Plauto fieri solet. Sed ex hac ipsa celeritate, qua mutantur personae, alacritatis iocorumque incrementa in fabula hac admodum motoria existere videntur. Pariter non est intervallum actu 4. inter scenam 3. (ex edit. Taubm.) et scenam 4. Euclio, qui fanum ingressus est, statim redit, Strobilum secum abripiens. Etiam 4, 7. ad finem proscenium fit vacuum, sed sine mora intrat Strobilus.

Ut iam de scenis, in quas actus ipsi distinguuntur, verbum adiiciam, novae scenae oriuntur, ubi personarum in proscenio fit mutatio; sed cum haud raro non modo iusto saepius, sed mediis etiam in versibus personae et adveniant et abeant celeriusque revertantur, strictius in distinguendis scenis legem illam vix servare possumus; quin dubium est, utrum plus utilitatis, an incommodi ex istiusmodi actuum distinctione in scenas existat. Plus quidem ad rem conducere videtur, si gravior actuum distinctio ista servatur, versusque ipsi singuli deinceps numerantur, scenarum singularum ratione nequaquam habita. *Goellerus* tamen, Vir Doctissimus, qui, ut supra iam monui, actuum ordinem vulgarem in sua edit. retinuit, idem scenarum bis terve mutavit ordinem, qui vulgo servatur in editionibus. In actu secundo, qui est apud Taubmannum, scenam 4. et 5. in unam coniunxit; sed nonne versu octavo scenae 5. unus coquorum cum altera tibicina in domum Megadori abit? novam tamen esse noluit scenam. Idem iunxit in actu 3. scenam 3. cum scena 2; tamen versu 30. scenae 2. nonne intrat in domum Euclio et redit act. 3. sc. 2? Itaque etiam hic est personarum mutatio, atque secundum legem nova debet esse scena. Speciosius coniunxit Vir Doctissimus actus tertii scenam quintam et sextam, quod hic personae non mutantur; tantum in scena sexta inter sese colloqui incipiunt, postquam per scenam quintam alter ab altero seiuncti, seorsim uterque, verba fecerunt; eademque de causa coniunxit actus quarti scenam nonam cum decima. Neque enim est personarum, sed orationis tantum mutatio quaedam, ob quam parum apte novae scenae initium hic poni videtur. Leviora sunt haec; sed intelligimus etiam ex his, melius omitti actuum distinctionem in scenas; ista videlicet ratio, qua in scenas dividuntur actus, minus est idonea parumque iusta. Accedit, quod, si quaerimus, num istud nomen *scena* hac quidem significatione, qua est pro parte actus, apud ullum veterum Romanorum scriptorem legatur, quemadmodum nomen *actus* potestate illa, qua est pars fabulae, apud Horatium, apud Ciceronem *) et apud Terentium **) scriptum invenitur, nullum eiusmodi locum investigare possumus. Donatus demum scholiastes Terentii *scenas* ista vi et significatione saepissime commemorat. Itaque veteribus ipsis Romanis distributio illa actuum in scenas minime fuit nota, meliusque omittitur, quemadmodum recte iam statuit Muretus; vide eius notam ad Terent. Andr. 1, 1, 1. Ceterum scenarum notatio paullo serius in libros Plauti est inducta, quam actuum.

---

*) Epistol. ad Quint. Fr. 1, 1. fin. et de senect. cap. 19. post med.

**) Hec. prolog. II, 31.

De canticis Aululariae.

Quid cantica sint in comoediis Plauti et Terentii, edocuit Vir, quem olim praeceptorem mihi contigisse, toto pectore animoque adhuc gaudeo, *Hermannus* Lipsiensis in dissertatione, quam anno 1811 edidit *de cantico in Romanorum fabulis scenicis;* ipse de eadem re exponere conatus sum libello *de actibus et scenis apud Terentium*, Gubenae 1813 scripto, fusius deinde programmate 1824 Halae vulgato *de canticis in Romanorum fabulis scenicis.* *Cantica* fabularum opponuntur diverbiis, quibus plures, plerumque duo tresve, in scena inter se colloquuntur; *cantica* fuerunt soliloquia, quo nomine uti hic liceat, sive *μονῳδίαι*, quae ab histrione non recitante verba, sed tacente et gesticulante saltabantur, dum argumentum i. e. verba ipsa alius canebat sive cantans recitabat, et utrumque adiuvabat tibicen modosque atque numeros tibiis praeibat. In eiusmodi canticis vehementior fuit rerum et animorum simulque metrorum motus et incitatio. Quae quidem si in istis libellis vere disputata sunt de canticorum indole et natura, quod ita esse eo magis credere licet, cum veterum grammaticorum, Diomedis et Donati, qui Terentium interpretatus est, testimoniis nitantur et inde repetita sint, in Aulularia tria tantum istiusmodi *cantica* esse videntur, 3, 1; 4, 1; 4, 9. (edit. Taubmann.); fortasse addere possumus 3, 4., ubi Euclio vehementius motus tetrametris troch. catal., quae animo sentit agitatque, in medium profert. De aliis scenis, quas cantica esse fortasse putaveris, ut actus secundi septimam, octavam, nonam, et octavam actus quarti, est quod valde dubitetur partim metri causa, partim quod non inest nisi sedatior narratio. Ita de canticis huius quidem fabulae uti nunc, ita iam olim statui, cum edidi libellum *de canticis.*

Ab ista tamen lege, qua secundum grammaticos veteres cantica nominari tantum possunt *μονολογίαι* sive *μονῳδίαι*, nuper abiit Vir Doctissimus, *Lindemannus*, qui Plauti fabulas inde ab anno 1830 edere coepit apud Teubnerum; in illa editione cantica nominavit etiam scenas, in quibus est vehementior animorum motus, et maior rhythmorum versuumque varietas, in quibus autem non unus, sed duo pluresve inter se colloquuntur. Ita canticum esse voluit Trinumm. 3, 2., ubi Philto et Lysiteles, Captiv. 2, 1., ubi Philocrates, Tyndarus et Lorarii, Amphitr. 1, 1., ubi Sosia et Mercurius inter se acrius colloquuntur; alacriorem videlicet animorum motum versuumque varietatem maioremque metri insolentiam secutus est. Sed cum ita animum induxerit Vir ille Doctissimus, qui factum est, ut non ab eodem in Amphitruone canticis adnumerata sit scena ista secunda actus secundi, ubi Alcmena, Amphitruo et Sosia vehementius non modo commoti sunt, sed etiam inter se rixantur, simulque numeri sunt varii et alacriores? Equidem, ut libere dicam, quod sentio, non possum quin dubius haesitem, num abire liceat ab iis, quae severius de canticis monent praecipiuntque veteres grammatici; quorum summa eo redit, ut *soliloquia* tantum velint esse cantica. Ab altera tamen parte idem concedo, meo quoque animo plus semel obversa-

tam fuisse cogitationem, ut putaverim, fortasse apud Plautum etiam diverbia nonnulla concitatiora esse cantica, praesertim cum animadverterem, in quibusdam fabulis, ut in Asinaria, Epidico, Cistellaria, Mercatore iusto pauciora, in Milite etiam, fabula satis motoria, si praecepta quidem grammaticorum adhibentur, plane nullum esse canticum.

Veruntamen si opinemur, interdum etiam ex diverbiis hoc vel illud canticis adnumerari posse, non possumus non interrogare, qui tandem factum sit, ut apud grammaticos, a quibus de canticis docemur, Donatum, Diomedem, ne levissima quidem exstent vestigia, e quibus intelligatur, ipsis notum fuisse, etiam e diverbiis unum alterumve habitum esse pro cantico. Hoc igitur certum est, grammaticos quidem de canticis loquentes non discedere a soliloquiis. Deinde, si e diverbiis quoque nonnulla sint cantica, in quibus pluribus, non uni, verba tribuuntur, quomodo ista, quaeso, fiant, quae cantico sunt propria, ut alius loquatur recitetque, alius saltet, alius tibiis canendo modos regat et moderetur? quemadmodum in canticis fieri Livius ipse libr. 7. cap. 2. docet; ita enim scripsit: „Livius — dicitur, „quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem „quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus im„pediebat; inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci „relicta." Quae cum ita sint, equidem ad Lindemanni, Viri Doctissimi, sententiam abire nequeo; hoc tamen nescio an concesserim, illa diverbia, in quibus animorum commotio, orationis vigor et metrorum vis atque pondus altius assurgit, fortasse ita in scena esse pronunciata, ut tibiarum cantus accederet et maiorem difficultatem recitandi histrionibus tibicen minueret. In quam quidem sententiam equidem adductus sum verbis Livii supra allatis, quibus Livius Andronicus, poeta et histrio, id modo novi in scenam induxisse dicitur, ut puerum, qui recitaret, ad tibicinem statueret; nam de *tibicine* ita fit mentio, quasi ille iam ex more et consuetudine in scena fuisset; aliter quidem loqui debuisset Livius, si nunc demum ab Andron. in scenam inductus esset tibicen. Optamus vero, ut etiam aliis locis ex veterum libris petitis haec sententia stabiliatur. Ita tamen si statuere liceat, eo minus erit, quod miremur, in quibusdam Plauti fabulis pauciora, quin nulla inveniri cantica. Istiusmodi autem locum Aululariae, admodum motorium, in quo ad levanda histrionum, quibus vehementius hic pronuntiandum fuit, latera cantus tibiarum utilissime accesserit, nominare licet 2, 1, 1—38. (edit. Taubmann.). Illic enim ut animi maxime sunt concitati, ita res et verba alacriora evadunt, et metrorum ratio propius ad cantici naturam et ad saltationem quandam accedit. Ista numerorum maior insolentia et difficultas tibicine modos adhibente felicius commodiusque vinci poterat. Utut est, per se non improbandum puto, si quis ita animum induxerit; sed ut res per se verisimilis est, ita tamen, fateor, nondum pro satis certa atque confirmata haberi debet.

De prologo Aululariae.

De prologis veterum, qui sunt in fabulis scenicis, scripserunt praeter Lessingium et C. F. Cramerum *) imprimis Vir doctrina elegantiaque mirum in modum insignis Eichstaedt Ienensis in libello, quem *de dramate Graecorum comico-satyrico* edidit (pagg. 98—123.); Osannus, quem saepius iam memoravi, in Analectis criticis (pagg. 165—180.) dixit de interpolatione, quae potissimum in prologos Plauti ceciderit. Addas Virum Celeberrimum, Frid. Baden, qui de prologo exposuit in ephemeridd., quas edendas curant Viri Doct. Klotz. et Seebodius **). Ipse *de prologis Plautinis* scripsi programmate, quod Gubenae in lucem prodiit a. 1812, ubi id maxime probare studui, ex nova comoedia prologos venisse ad Romanos. Plauti prologi differunt a Terentianis. Plautus, cuius fabulis tamen non omnibus prologi praemissi inveniuntur, plerumque in prologis partim monet, quae praescire spectatorem opus est, maximeque de argumento fabulae exponit, partim fabulam spectantibus commendat, partim de nomine et de fonte comoediae verba facit, partim rationem denique reddit aliarum rerum, quae ad fabulam spectant. Terentius omnibus aliis omissis prologo ita tantum utitur, ut rationem reddat doceatque, qui fabulae sit fons et origo, et quomodo ipse eam tractaverit, defendens sese contra adversariorum maledicta atque convicia, et fabulam spectatorum benevolentiae commendans, cf. prol. Andr. vss. 5—8. Terentius enim, quippe qui artem scenicam cum Scipionibus, quibus familiarius uti ipsi contigit, penitius iam et elegantius animo concepisse et clarius quasi perspexisse videtur, in eo maxime operam ponendam censuit, ut, quae ad intelligendam fabulam statim ab initio actionis scenicae cum spectatoribus communicanda essent, non prologo, ab ipsa actione plane scilicet alieno, sed ab una et altera ex personis ipsis, quae in fabula partes habent, prima statim scena aperirentur, eum quidem in modum, ut haec iam ipsius actionis esset pars; quae quidem ratio probabilior ipsi visa est, neque immerito.

Quamquam eorum, qui prologum recitant, nominatim apud Plautum mira est varietas, quod intelliget, qui singulas inspexerit fabulas, tamen in universum etiam apud Plautum in more fuisse statuendum est, ut prologum ageret adolescentior unus ex histrionibus, sicuti discimus ex Terentio, qui prolog. Heautont. vss. 1. et 2. haec habet:

Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni
Poeta dederit, quae sunt adolescentium;

(add. vss. 51. et 52.); idem prologo Hecyr. vss. 1—3. dicit:

Orator ad vos veni, ornatu prologi;
Sinite exorator ut sim, eodem ut iure uti senem
Liceat, quo iure sum usus adolescentior.

---

*) Ille rem tractavit in Dramat. Hamb. cap. VII, hic in libello, quem inscripsit: Ueber den Prolog, Leipz. 1776.

**) Nominantur istae: Neue Jahrbücher für Philol. und Pädagog., 1. Suppl. B. 3. Heft, Leipz. bei Teubner. 1832; legantur ibi pag. 441. sqq., quae inscripta sunt: *Von dem Prologe im Römischen Schauspiel.*

Hoc loco, quem modo attuli, simul docemur prologum — nam qui prologum agebat, ipsum nominatum esse prologum neminem latet — proprio et peculiari ornatu vestitum in scenam prodiisse. Unde explicari debent Plauti verba prol. Poen. vs. 124: *Ego ibo et ornabor*, et vs. 127: *ibo, alius nunc fieri volo.* Quando enim prologum egerat histrio, abibat de scena, ut, veste mutata, illum sumeret ornatum, quem partes in fabula agendae postulabant.

Ille autem ornatus prologi qualis fuerit, cum veteres ipsi nusquam doceant, adire nos oportet codicem illum Terentii longe antiquissimum, Vaticanum, qui omnium personarum, quae in fabulis Terentii partes habent, imagines ex ordine exhibet. Illas picturas, quae in illum codicem fortasse ex antiquiori exemplari sunt translatae, si originem respexeris, illo ipso tempore natas esse putant homines docti, quo in scena adhuc agebantur Terentii fabulae. Descriptas habemus in pluribus Terentii editionibus, nominatim in illa, quae Romae anno 1768 satis splendide opera Caroli Cocquelini duobus tomis in lucem prodiit. Easdem reperimus in commentatione ista, quam *de personis, vulgo larvis* scripsit Ictus *de Berger**). Hunc librum ipse possideo; sed cum alii libri ea de re mihi desint et illae imagines, quas Ictus *de Berger* in suo libro descriptas dedit, ab hominibus doctis, qui harum rerum sunt peritiores, admodum negligenter confectae dicantur, ipse de hac quidem re certius nil decernere ausim. Imagines, quibus prologus in singulis fabulis apud Berg. repraesentatus est, sibi parum constant, ita ut alia ab alia magis minusque differat. Hoc videre licet, tunica et pallio longiori prologum esse vestitum.

Prologum in Aulularia agit Lar familiaris. Totus est in proponendis iis, quae scire spectatores opus erat, antequam fabula ageretur. Quod Deus hic partes habet, non est, quod miremur. Similiter in Amphitruone Mercurius, in Rudente Arcturus prologum agit, in Trinummo Luxuria cum Inopia; in Cistellaria, postquam lena 1, 2. de argumento partem narravit, Auxilium accedit et ad finem narrationem perducit. Quae de thesauro prol. Aul. docentur, a quo alio in medium proferri poterant, nisi a deo harum rerum solo conscio? ut pariter in Amphitruone Mercurius solus docere potuit, quae illic narrantur. Quis autem nescit, si quae deorum solo interventu expediri solvique possunt, tum ne ab Aristotele quidem et ab Horatio poetas vetari deos in carmina admittere?**) In Rudente Arcturus in scenam prologus prodit, quod deorum auxilio puellas servatas videri voluit poeta. Sed quod in Trinummo prologus agitur a Luxuria ad Inopiam verba faciente, id sane mirum videtur et insolentius. De argumento fabulae exponitur prima et secunda scena; prologo tantum docetur de nomine et fonte fabulae; quod ut fieret, qua tandem de causa deorum interventu fuit opus? A Plauto scriptum esse prologum, eo magis persuasum habeo, quod dii inducuntur, id quod Plautus studiosius facit. Itaque ni omnia me fallunt, ipsa huius prologi ratio cum aliis rebus vestigiisque est indicio, a Plauto aetate iam provectiore compositum esse Tri-

---

*) Francof. et Lipsiae, 4, 1723 in lucem prodiit.

**) Vid. Aristotel. de art. poet. c. 18. §. 13.

nummum, ubi magis iam ipse intellexerat, concinnius esse aptiusque, id quod post Plautum ubique fecit Terentius, de argumento spectatores ita docere, ut, quae ante scitu necessaria essent, in ipsa fabula proponerentur; quod optime a poeta hic ita factum est, ut de istis rebus ad fabulam spectantibus statim ab initio senes Callicles et Megaronides satis edoceant, quemadmodum fore promisit Luxuria in vss. 16. et 17:

Sed de argumento ne exspectetis fabulae;
Senes qui huc venient, hi rem vobis aperient.

Eodem modo apud Terentium in Phormione Geta et Davus inter se colloquentes argumentum aperiunt. Provectiori aetate fabulam a poeta esse confectam, ex eo quoque concluserim, quod non modo ad leges artis scenicae strictius est composita, verum etiam morum probitatem ubique magis commendat, ut decet virum iam seniorem. De tempore, quo Trinummus in lucem venerit, disseruerunt Viri Doctissimi, *Ritterus**) et *Windischmannus* in Museo Rhenano**); hic paullo post annum 542. a. u. c., ille viginti annis post, anno 562. a. u. c., sive anno 192. a. Chr. n. a Plauto compositum esse opinatur. Equidem facio cum Ritttero et gaudeo, alium Virum Doctissimum, qui nuperrime de tempore, quo singulae Plauti fabulae conscriptae viderentur, disseruit, *Petersen.* Hamburgensem, mecum eadem fere in sententia esse. Ille enim a. 186. a. Chr. n. Trinummum scriptum esse iudicavit.

Quod vero Plautus in Trin. ista numina, Luxuriam et Inopiam, in scenam induxit, a quibus prologus recitaretur, id haud scio an ad idem studium Plauti iam senioris sit referendum, quo probitatem morumque innocentiam iuventuti acrius commendare conatur; namque cum numina ipsa praecipere incipiunt, quasi altius sanctiusque praecepta virtutis animis insidunt. Quamquam quod deos saepius in prologis Plautus in scenam producit, facit ille suo more: veterem sequitur comoediam Doriensium et etiam in prologis *ad Epicharmum properare* videtur. Epicharmo enim et omnibus in universum poetis istius comoediae, quae Doriensium vocatur, maxime usitatum fuisse scimus, deos in scenam producere, potissimum ita, ut seria in ridiculum verterentur.***) Si tamen quaeritur, qui factum sit, ut ista consuetudo Plauti deos in scenam inducendi parum apud Romanos obtinuerit, quamquam, ut in Amphitruone factum videmus, haud exigua inde oriri poterat materies risum movendi, mihi quidem causa fuisse videtur in eo, quod gravius Romanorum nobiliorum ingenium hunc impium fere risum e rebus divinis sacrisque haustum aegre, ne dicam indignissime, ferebat. Itaque fieri fortasse potuit, ut publica quoque auctoritate interposita talis impietas aliquo modo prohiberetur. Quod tamen non obstitisse videtur, quo minus Amphitruo, quo semel populus vehementius delectari coeperat, post Plautum quoque saepius in scena spectaretur ani-

---

*) In ephemm., quibus nomen: Schulzeitung 1830 et 1831.

**) Vide partem, quae inscripta est: 1. Jahrg. 1. Heft.

***) Legantur, quae scripsit *Grysar. de Doriensium comoedia* pag. 43. et seqq. et pag. 231. et seqq.

mosque ita captos teneret, ut haec fabula, sicuti supra iam monitum, Diocletiani adhuc tempore non sine summo populi plausu spectanda praeberetur. Populo quod semel datum erat, id eripere fuit difficillimum.

De Lare.

Lar, qui ipse prol. vs. 2. familiarem se appellat, deus tutelaris est familiae sedemque suam habet in domo, quam tuetur. Illic custodit omnes, quicunque in domo habitant, sed ita, quemadmodum ipsi tutela hac digni sunt moribus suis cultuque, quem Lari ferunt. Doctius fusiusque de Laribus eorumque natura et de discrimine, quod inter eos Penatesque est, locuti sunt mythographi *). Certum esse videtur, Lares, si proprie et accuratius rem spectamus, ex hominibus originem ducere **). Maiores enim sive proavi postquam mortui erant, praesertim si qui mitiores simulque potentiores fuissent, divino honore in familia coli coepti sunt; unde facile exstitit numinis cuiusdam domestici notio, quod, qui domum incolebant, tutelare sibi esse opinabantur, quo tuente et arcente mala a domo prohiberentur. Neque mirum inde videatur, quod etiam plures eiusdem familiae memorantur Lares domestici, ut apud Plaut. Rud. 4, 6, 3., etsi idem Plautus Mercat. 5, 1, vss. 5. et 7. et Trinumm. 1, 2, 1. de *uno* tantum domestico dicit. *Penates*, quos Plautus memorat Mercat. 5, 1, 5. et 7., a Lare eiusdem familiae distinguere videtur, neque tamen in promtu est, quid sit discriminis. Saepissime Lares et Penates manifesto confunduntur, adeo, ut eodem loco, ritu et honore colantur, iisdem insignibus ornentur, eademque facere tradantur; quin etiam eaedem locutiones et propriae et impropriae ab utrisque originem habent. Utut igitur difficile est clarius distinguere, nec veteres ipsi clare distinxerunt, hoc tamen ut gravissimum tenendum est, Penates ipsis natalibus suaque origine esse deos. Itaque dii isti, Iupiter, Iuno, Minerva, qui communiter templo Capitolino colebantur, a Macrobio Saturn. 3, 4. totius populi Romani *Penates* nominantur, non *Lares*, utpote qui homines ab origine fuerunt. Hoc discrimine, quasi fundamento, nixi omnia fere, quae de Laribus Penatibusque proferuntur, facilius explicare possumus. Et Laribus et Penatibus in foco cultus fiebat; apud ditiores tamen Penates magis in impluvio culti esse videntur, ut apud eosdem Laribus peculiaria erant lararia, ubi Alexander Severus, Imperator, teste Lampridio cap. 29. et 31. celebriores *homines* mortuos re divina coluisse ut praestites quosdam fertur. Apud pauperiores quidem in foco, ubi Laris erat ara et imago, huic numini domestico ture, cibo, corona, etiam vino, sacrificari solebat, ut discimus ex prolog. Aulul. et ex 2, 8, 15. et 16.; ubi haec leguntur:

Nunc tusculum emi et hasce coronas floreas;

---

*) Cf. Creuzeri symbol. tom. II. pag. 844. et seqq.

**) Vid. Apulei. *de deo Socratis*, pag. 50. ed. Francof., et Creuzer. l. l. pagg. 850. et 851., maxime pagg. 878. et 879.

Haec imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatae nuptias;

cf. Trinumm. 1, 2, 1.:

Larem nostrum corona decorari volo,

et Rudent. 4, 6, 1.:

Atque adorna, ut rem divinam faciam, cum intro advenero,
Laribus familiaribus, cum auxerunt nostram familiam.

Lares pariter ac Penates ab Etruscis Romani recepisse videntur. *Lar* nomen fuit Etruscum, quod dominum, sive principem et *προςάτην* in universum significabat *). Itaque et Penates et Lares Romanis sunt proprii, non communes cum Graecis, qui varie interpretati nominant eos *θεοὺς* modo *πατρῴους,* modo *γενεθλίους,* modo *κτησίους,* modo *κατοικιδίους,* modo *μυχίους* (Penates), modo *ἑρκείους.* Romani eorum cultum repetierant ab Etruscis, ab ista gente, apud quam severior fuit religio pietasque sanctior in deos; hinc penitus Larium cultum ad suam religionem Romani admiserant. Videmus igitur Plautum etiam hic, ut saepissime, graeco fonte atque exemplo, si quod in Aulularia fuit secutus, relicto, liberius scripsisse admiscentem palliatae comoediae, quae prorsus Romana erant.

Ceterum familiaris Lar haud dubie in scenam prodiit pelle canina vestitus pilumque manu tenens, quales Larium imagines plerumque repraesentabantur, cane etiam, fidei simulacro, iuxta posito **).

De alliteratione, cuius exempla adduntur ex Aulularia.

Cum hoc libello proposuerim, non singulos locos Aululariae critice, ut aiunt, aut grammatice tractare, sed ea in medium proferre, quae, si quis studiosior sit Plauti, eum ad lectionem huius fabulae quasi praeparent, non ab re esse duxi, si de materia exponerem, quae ad omnes quidem Plauti fabulas pertinet, sed adeo apud illum invaluit, ut demum, quando curatius ad eam lector animum adiicere coeperit, orationis Plautinae vim, ingenium et elegantiam verius penitiusque intelligere animoque concipere possit. Dico *alliterationem,* quo nomine, qui nunc sunt aut nuper fuerunt, grammaticarum rerum interpretes vulgo istam dixerunt. Veteres, quamquam plura nomina erant, plerumque et, puto, aptissime eam vocarunt *annominationem;* a Graecis, ut alia nomina praeteream, maxime *παρήχησις* dicta est; de aliis nominibus legantur, quae protulit Io. Chr. Theoph. Ernesti in utroque *lexico technologiae rhetoricae.*

---

*) Hac generali nominis *Lar* potestate facillime fieri potuit, ut *Lares* Etrusci et Romani alios quoque vocarent rerum locorumque quoscunque *προςάτας* sive praestites dominosque, ut viarum, vicorum, compitorum, agrorum, ruris, maris; locorum omnino erant genii. Denique etiam publicos fuisse Lares neminem fugit.

**) Legas, quae scripsit *de Diis Laribus* Tob. Hempel. Zwiccav. 1816 pag. XXXI.

Quamquam, ut hoc statim et ab initio moneam, veteres Graeci et Romani minus subtiliter hanc rem tractantes nominatim fines huius alliterationis parum distincte constituerunt et observarunt. Huius autem figurae usus quam late pateat, iam ex eo videbis, quod iam in ipso prologo Aululariae haud pauca exempla deprehenduntur, ut vss. 27—30.:

— — — — si vell*et* dar*et;*
Nam compressit eam de summo adolescens loco.
Is *scit* adolescens, quae *sit*, quam compresser*it;*
*Il*la *il*lum nes*cit*.

Habes hic, quod genus est alliterationis, homoeoteleuton: vell*et*, dar*et; scit* — *sit* — compresser*it;* quod repetitur nomen *adolescens* et pronomen *ille*, id eodem referri debet, ut nil dicam de alliteratione, quae esse videtur in eo, quod legimus: *Nam* — *eam*.

Hanc alliterationem antiquissimi sermonis latini maxime fuisse propriam, iam olim haud pauci senserunt; accuratius eam explicuerunt Ioann. Iovian. Pontanus et G. I. Vossius, hic in Institut. Orat., ille in Dialog. quodam, cui nomen Actio; alii magis significarunt, quam diligentius docuerunt, re scilicet non penitius indagata et perspecta. Nuperrime demum doctissime et copiosius de hac antiquissimi Romani sermonis lege et consuetudine scripsit Vir ingenii ubertate admodum praecellens Naeckius Bonnens. *). Illic quae exempla huius alliterationis Vir Clarissimus congessit, quamquam ex aliis quoque scriptoribus, ut ex Terentio, Virgilio, maiorem tamen partem sumta sunt ex Plauto; quippe apud quem, ut magis vulgarem, ita antiquiorem Romanorum sermonem adhuc habemus, in quo illa consuetudo quasi habitat multoque validius haesit atque mansit, quam apud omnes alios Romanorum scriptores, ne Terentio quidem excepto, qui sermone usus iam politiori minus hac alliteratione delectatus fuisse videtur.

Mirum enim est, quod ista consuetudo, quam ex origine et ex natalibus suis sermoni Romano domesticam propriamque fuisse animadvertimus, inde a Planto, apud quem similiter atque in fragmentis aliorum, qui apud Romanos fabulas scenicas composuerunt, potissimum antiquiorum, maxime adhuc invenitur, magis magisque, postquam doctrina quaedam et eruditio maiorque subtilitas sermonem Romanum incessit, imminuta est et paullatim fere abolevit; etsi nunquam prorsus evanuerunt vestigia, quae partim per totum sermonem eiusque naturam indolemque in universum conspiciuntur, partim apud singulos scriptores magis minusve sunt servata. Non alienus est ab ista alliteratione Terentius, etsi ipse Plauto iam rarius ea utitur, et maiore fere cum cura et delectu. Saepenumero eam invenimus apud Virgilium; quod non miramur, cum ille antiquitatis studiosior sit atque amantior; elegantius tamen et maiori quadam arte ille figura ista uti scit non modo ad orationem ornandam, sed magis etiam, ut augeat lepores Veneresque numerorum, quos admodum artificiose et perfectissime a Virgilio confectos esse scimus. Rariorem istius figurae usum animadvertimus apud Horatium, quippe graece insigniter doctum et politum, adeo quidem, ut iniquius fere antiquissima

*) Vide, quae leguntur in libro, qui inscriptus est: Rhein. Mus. 3. Jahrg. 1819. pag. 324. sqq.

Romanarum literarum monumenta aspernari haud dubitarit. Plura alliterationis exempla reperiuntur apud Ciceronem, maxime in orationibus, ubi vis inde haud dubie maior quaedam validiorque exstitit in auditores. Sed apud Cic. alliteratio magis orta videtur ex eo, quod sermonis ingenium sic suadebat, quam quod ipse alliterationis erat studiosior; neque omnibus eius generibus se tradidisse videtur, ut vere monet Zumptius, Vir antiquitatis admodum gnarus, ad Verr. act. II. lib. 4. c. 5. §. 10. Leguntur illic verba Ciceronis: *putabant ereptionem esse, non emptionem.* Ad haec ita scripsit Zumptius: „Annominationis figuram agnosco, quam describit auctor „ad Herenn. 6, 21, Rutilius Lupus 3, Quintilian. Instit. orat. 9, 3, 69. sqq. et 75. Et „praeter exempla, quae illi laudant, alia sunt Ciceronis de nat. deor. 1, 7, 17.: „Tu au„„tem noli existimes, me adiutorem huic venisse, sed auditorem" — — —. Quamquam „hoc quidem genere Cicero multo parcius utitur, quam posset exspectari a tanto hominis „acumine, si ipsum genus satis probasset, nec aut frigidum aut leve putasset. — Magis re„rum proprietate praepositionibus distinguenda delectatur, qualia illa sunt, quod Divin. 9. „Caecilium literas non *deportare*, sed *asportare* velle dicit, et lib. 1, 4. Verrem sibi neque oc„culte *surripi*, neque impune *eripi* posse, aliaque multa." Veteres deinde grammatici posterioris temporis ab hac consuetudine iam fere abhorruisse videntur, ut improbantes singula exempla etiam κακέμφατα nominarint, uti scripsit ipse Servius ad Virgil. Aen. 2, 7.*); quod eo magis miramur, cum ista alliteratione suavior existat syllabarum verborumque coitus et quasi concentus. Nisi forte potissimum id factum esse putemus studio isto hominibus eruditioribus et elegantioribus quasi innato, a vulgi more et consuetudine, scilicet despecta, decedendi consultoque ea relinquendi, quae vulgo sunt in deliciis. Apud vulgares enim homines illam alliterationem plurimum mansisse in usu, facile tibi persuaseris; sed eadem haud raro abusos esse frigidius insulsiusque iocantes et scurriliter nugantes pariter credideris. Superest, ut neminem latebit, in proverbiis et in locutionibus, quae propius a proverbiis absunt; potissimum repetitionem eiusdem vocabuli, quae ipsa ad alliterationem proxime accedit, usitatam esse videmus. Ita dicunt proverbialiter homines Romani: „Si„milis simili gaudet, amico amicus, balbus balbum rectius intelligit, caecus caeco dux, ma„nus manum fricat, vel lavat," et eiusdemmodi sexcenta. Atque eandem consuetudinem, quam etiam a Germanico sermone minime alienam esse notum est, multum valuisse in totam linguae Romanae naturam formamque et in eius grammaticen apparet cum ex aliis, tum ex multitudine relativorum, quae orta sunt ex repetitione, qualia sunt *quisquis*, *quantusquantus*, *quotquot*, *utut*, *quamquam.* Adde, quod vulgo et ex lege quadam perpetua dicunt Romani *magis magisque*, *minus minusque*, *plus plusque*, alia.

Sed ut iam ad singula alliterationis exempla ex Aulularia repetita transeamus, ne ordine quodam et lege certa careamus, sicut ipse iam Naeckius ratione haud multum diversa fecit, constituendae sunt classes. Alliteratio enim fit inter duo vel tria vocabula

---

*) Cf. Naeckius pag. 332.

aut primis syllabis vel literis sive vocalibus sive consonis,

aut in una postrema et altera prima syllaba,

aut, quamquam id rarius invenitur, in prima et postrema syllaba,

aut in mediis vocabulis,

aut in postremis syllabis; quod genus cum prae ceteris iam antiquitus animadverterent rhetores et grammatici, *ὁμοιοτέλευτον* peculiariter nominarunt;

aut denique in versuum initio, medio et fine, vel in priori et posteriori membro.

Has classes cum singulatim per duas maxime Aululariae scenas persequi conor, fieri haud poterit, quin eodem in loco simul plus unum alliterationis genus conspiciatur. Haud raro enim, ut lepor quidam orationi oriretur, coacervavit Plautus alliterationem, et unum genus cum altero quasi coniunxit. Neque porro ista alliteratio est modo in verbis, quae continuo se sequuntur, sed interdum etiam unum duove vocabula sunt interiecta, quae si breviora sunt et enclitica, ut *me*, *te*, *se*, *nos*, *vos*, *eum*, *est*, nil fere valent et antecedenti nomini debent annecti. Ipse tamen sentio, iusto tenuioris subtilitatis, ne dicam, *μικρολογίας* cuiusdam incusari me posse, quod inter exempla, quae afferam, alliterationis plurima erunt, quae non consulto quaesita, sed fortuito orta videbuntur; cum enim non pauca eius generis scribenti, licet non quaesiverit, necessario obviam se ferant, quomodo, qui latine scribit, alliterationem istam, ad quam secundum naturam suam lingua Romana proclivior dici potest, evitabit? Concedo, ita quodammodo esse, sed, cum hoc ipsum constet, propriam et nativam prorsus domesticamque sermoni Romano esse alliterationem adeo, ut etiam nescii, qui latine scribebant, ad eam delabi possent, utique incertum est, qui fines constituendi sint, si quaerimus, consulto an casu haec figura hic et illic in orationem venerit. Sed ne iusto longior essem, per partem modo minorem Aululariae, per prologum et primum actum, alliterationem accuratius persecutus sum, ut significarem, qualis et ubi esset; cetera lectoribus permitto veniam rogans, si quid forte aut omiserim aut modum excedam, aut in universum parum recte moneam. Taubmanni editionem sequor.

I. Primis syllabis vel literis sive consonis, sive, quod fortius sonat, vocalibus fit alliteratio. Ad hoc genus ex Aulular. prólogo haec referri debent:

*s*ervarem *s*ibi vs. 8.,
*m*agnum *m*odum vs. 13.,
*la*bore *ma*gno vs. 14.,
*s*emper *s*upplicat vs. 24. — Ex Aulul. I, 1. sunt haec:
*Ex*i — *ex*i — *ex*eundum vs. 1.,
*r*ationem *r*eddam, *st*imulorum *s*eges vs. 6.,
*s*celesta *s*ola *s*ecum vs. 13.,
*d*e*d*am *d*iscipulam vs. 20.,

Romanarum literarum monumenta aspernari haud dubitarit. Plura alliterationis exempla repe-riuntur apud Ciceronem, maxime in orationibus, ubi vis inde haud dubie maior quaedam validiorque exstitit in auditores. Sed apud Cic. alliteratio magis orta videtur ex eo, quod sermonis ingenium sic suadebat, quam quod ipse alliterationis erat studiosior; neque omnibus eius generibus se tradidisse videtur, ut vere monet Zumptius, Vir antiquitatis admodum gnarus, ad Verr. act. II. lib. 4. c. 5. §. 10. Leguntur illic verba Ciceronis: *putabant ereptionem esse, non emptionem.* Ad haec ita scripsit Zumptius: „Annominationis figuram agnosco, quam describit auctor „ad Herenn. 6, 21, Rutilius Lupus 3, Quintilian. Instit. orat. 9, 3, 69. sqq. et 75. Et „praeter exempla, quae illi laudant, alia sunt Ciceronis de nat. deor. 1, 7, 17.: „Tu au-„„tem noli existimes, me adiutorem huic venisse, sed auditorem“ — — —. Quamquam „hoc quidem genere Cicero multo parcius utitur, quam posset exspectari a tanto hominis „acumine, si ipsum genus satis probasset, nec aut frigidum aut leve putasset. — Magis re-„rum proprietate praepositionibus distinguenda delectatur, qualia illa sunt, quod Divin. 9. „Caecilium literas non *deportare*, sed *asportare* velle dicit, et lib. 1, 4. Verrem sibi neque oc-„culte *surripi*, neque impune *eripi* posse, aliaque multa.“ Veteres deinde grammatici po-sterioris temporis ab hac consuetudine iam fere abhorruisse videntur, ut improbantes singu-la exempla etiam *κακέμφατα* nominarint, uti scripsit ipse Servius ad Virgil. Aen. 2, 7.*); quod eo magis miramur, cum ista alliteratione suavior existat syllabarum verborumque coitus et quasi concentus. Nisi forte potissimum id factum esse putemus studio isto hominibus eruditioribus et elegantioribus quasi innato, a vulgi more et consuetudine, scilicet despecta, decedendi consultoque ea relinquendi, quae vulgo sunt in deliciis. Apud vulgares enim homines illam alliterationem plurimum mansisse in usu, facile tibi persuaseris; sed ea-dem haud raro abusos esse frigidius insulsiusque iocantes et scurriliter nugantes pariter credideris. Superest, ut neminem latebit, in proverbiis et in locutionibus, quae propius a proverbiis absunt; potissimum repetitionem eiusdem vocabuli, quae ipsa ad alliterationem proxime accedit, usitatam esse videmus. Ita dicunt proverbialiter homines Romani: „Si-„milis simili gaudet, amico amicus, balbus balbum rectius intelligit, caecus caeco dux, ma-„nus manum fricat, vel lavat,“ et eiusdemmodi sexcenta. Atque eandem consuetudinem, quam etiam a Germanico sermone minime alienam esse notum est, multum valuisse in to-tam linguae Romanae naturam formamque et in eius grammaticen apparet cum ex aliis, tum ex multitudine relativorum, quae orta sunt ex repetitione, qualia sunt *quisquis*, *quantus-quantus*, *quotquot*, *utut*, *quamquam*. Adde, quod vulgo et ex lege quadam perpetua dicunt Romani *magis magisque*, *minus minusque*, *plus plusque*, alia.

Sed ut iam ad singula alliterationis exempla ex Aulularia repetita transeamus, ne ordi-ne quodam et lege certa careamus, sicut ipse iam Naeckius ratione haud multum diversa fecit, constituendae sunt classes. Alliteratio enim fit inter duo vel tria vocabula

---

*) Cf. Naeckius pag. 332.

aut primis syllabis vel literis sive vocalibus sive consonis,

aut in una postrema et altera prima syllaba,

aut, quamquam id rarius invenitur, in prima et postrema syllaba,

aut in mediis vocabulis,

aut in postremis syllabis; quod genus cum prae ceteris iam antiquitus animadverterent rhetores et grammatici, *ὁμοιοτέλευτον* peculiariter nominarunt;

aut denique in versuum initio, medio et fine, vel in priori et posteriori membro.

Has classes cum singulatim per duas maxime Aulularíae scenas persequi conor, fieri haud poterit, quin eodem in loco simul plus unum alliterationis genus conspiciatur. Haud raro enim, ut lepor quidam orationi oriretur, coacervavit Plautus alliterationem, et unum genus cum altero quasi coniunxit. Neque porro ista alliteratio est modo in verbis, quae continuo se sequuntur, sed interdum etiam unum duove vocabula sunt interiecta, quae si breviora sunt et enclitica, ut *me*, *te*, *se*, *nos*, *vos*, *eum*, *est*, nil fere valent et antecedenti nomini debent annecti. Ipse tamen sentio, iusto tenuioris subtilitatis, ne dicam, *μικρολογίας* cuiusdam incusari me posse, quod inter exempla, quae afferam, alliterationis plurima erunt, quae non consulto quaesita, sed fortuito orta videbuntur; cum enim non pauca eius generis scribenti, licet non quaesiverit, necessario obviam se ferant, quomodo, qui latine scribit, alliterationem istam, ad quam secundum naturam suam lingua Romana proclivior dici potest, evitabit? Concedo, ita quodammodo esse, sed, cum hoc ipsum constet, propriam et nativam prorsus domesticamque sermoni Romano esse alliterationem adeo, ut etiam nescii, qui latine scribebant, ad eam delabi possent, utique incertum est, qui fines constituendi sint, si quaerimus, consulto an casu haec figura hic et illic in orationem venerit. Sed ne iusto longior essem, per partem modo minorem Aululariae, per prologum et primum actum, alliterationem accuratius persecutus sum, ut significarem, qualis et ubi esset; cetera lectoribus permitto veniam rogans, si quid forte aut omiserim aut modum excedam, aut in universum parum recte moneam. Taubmanni editionem sequor.

I. Primis syllabis vel literis sive consonis, sive, quod fortius sonat, vocalibus fit alliteratio. Ad hoc genus ex Aulular. prologo haec referri debent:

*s*ervarem *s*ibi vs. 8.,
*m*agnum *m*odum vs. 13.,
*la*bore *ma*gno vs. 14.,
*s*emper *s*upplicat vs. 24. — Ex Aulul. I, 1. sunt haec:
*Ex*i — *ex*i — *ex*eundum vs. 1.,
*r*ationem *r*eddam, *st*imulorum *s*eges vs. 6.,
*s*celesta *s*ola *s*ecum vs. 13.,
*d*edam *d*iscipulam vs. 20.,

*m*etuo *m*ale vs. 22.,
*m*iserum *m*odis vs. 27.,
*m*iserum *m*e *d*ecies *d*ie vs. 30.,
*qu*eo commiuisci, ne*qu*e *qu*id*qu*am vs. 37.,
collum *qu*ando vs. 39.,
*pr*obrum, *prop*inqua *p*artitudo vs. 36. — Ex Aulul. 1, 2. haec notavi:
*int*ro atque *int*us vs. 3.,
fateo*r*, patio*r* vs. 10.,
*Qu*od *qu*ispiam ignem *qu*aerat, exstin*gu*i volo; Ne causae *qu*id sit,
*qu*od te *qu*is*qu*am *qu*aeritet vss. 13. et 14.,
*ex*tinguere *ex*tempulo vs. 15.
*pau*perem *pau*xillum *pa*rvi vss. 33. et 34.,
*co*nsistunt, *co*pulantur vs. 38.

II. In postrema prioris vocabuli et prima sequentis syllaba alliteratio est haud infrequens. Ut pauca exempla afferam, huius generis sunt haec:

contr*a* f*a*ctum Aulul. prolog. vs. 20.,
occipiti*o* qu*o*que Aul. 1, 1. vs. 25.,
sec*um* *m*ur*mu*rat vs. 13.,
foemin*a* m*a*num Aul. 2, 1. vs. 16.

Quod eadem consona finiuntur et incipiuntur vocabula, quae continuo se excipiunt, id tam saepe fit, ut singulis exemplis monstrare supersedeam; sic legitur: „digna*m* *m*ala, nunc *qu*i, quamqua*m* *m*elius est.“ Etiam huiusmodi alliteratione concinnitatem sermonis fuisse adiutam puto, sed illam non tam quaesitam esse, quam sponte exstitisse; maxime autem in consonam *m* cadere, iam ex his, puto, apparebit exemplis; nec mirum, cum in nominibus frequentissime *m* sit finalis. Laeviorem quasi fieri inde verborum iuncturam transitumque manifestum est.

III. Interdum etiam in prioris vocabuli prima vel secunda syllaba et in alterius, quod statim subsequitur, literis vel prima, vel media, vel ultima est alliteratio; qualia sunt fere haec:

nam *it*em obi*it* diem Aulul. prol. vs. 20.,
on*ust*us f*ust*ibus Aul. 3, 1, 7.,
ad *ill*am *ill*exit Aul. 4, 10, 7.

IV. In mediis vocabulis fit alliteratio; cuius exempla sunt haec:

mis*er*e viv*er*et Aulul. prolog. vs. 14.,
mis*era*m verb*era*s Aulul. 1, 1, 3.,
ven*isse* atque abstul*isse* Aulul. 1, 2, 19.,
ut*ere* atque imp*era* vs. 22.,

optimum esse arbitror vs. 24.,
servitutem sumtibus redigunt viros vs. 47.,
quid fecimus, quid diximus tibi sequius? 3, 1, 22.,

ubi ὁμοιοτέλευτον quoque agnosces.

V. Illud enim, quod est in *postremis* syllabis, alliterationis genus cum saepissime inveniatur et omnium maxime auribus percipiatur, iam veteres magis animadverterunt, *ὁμοιοτέλευτον* nominantes. Huc ex Aulularia referri debent haec:

iam mult*os* ann*os* est prol. vs. 4.,
in medi*o* foc*o* vs. 7.,
si velle*t*, dare*t* vs. 27.,
cum ocul*is* emissiti*is* 1, 1, 2.,
ded*am* discipul*am* vs. 20.,
ut un*am* faci*am* liter*am* long*am* vss. 38. et 39., quamquam illic, num lectio sana sit, quaeri debet;
fate*or*, pati*or* 1, 2, 10.,
in aed*is* intromiser*is* vs. 12.; mensura tamen diversa est syllabarum;
homin*em* pauper*em* vs. 83.,
ade*unt*, consist*unt* vs. 38.,
ut vale*am*, quid ag*am*, quid rerum ger*am* vs. 39.,
postidea dom*um* Me rurs*um*, quant*um* potero, tant*um* recipiam vs. 40. et 41.

VI. In versuum initio, medio et fine, vel in priori et in posteriori singulorum membro haud raro maiori arte et vi alliteratione poetae utuntur; unde explicari debent nominatim pentametri, quorum prius et posterius membrum eundem fere in sonum cadunt atque terminantur, quales ab Ovidio saepenumero factos esse notum est; redit haec quidem alliteratio omnino ad *ὁμοιοτέλευτον*. Talia sunt:

Atque ille vero minus minusque impendi*o* Aulul. prol. vs. 18.,
Is sc*it*, quae s*it*, quam compresser*it* vs. 29.,
Quo ille facilius duc*at*, qui compresser*at* vs. 33.,
Festudineum ist*um* tibi ego grandibo grad*um* 1, 1, 10.,
excesser*is*, aut si respex*is* vss. 18. et 19.,
Longum meum laque*o* collum quando obstrinxer*o* vs. 39.

Ab istac alliteratione propius abest atque arctius cohaeret repetitio eiusdem vocabuli, sive interiecto, sive non interiecto alio nomine; qua quidem repetitione sive iteratione*)

---

*) Etiam veteres rhetores, tum Graeci tum Romani, huius repetitionis verborum minime fuerunt negligentes, immo, prout diverse vel vi vel loco ab oratoribus ipsa usurpabatur et plura inde orta erant genera, varia indiderunt nomina, qualia sunt *ἀναδίπλωσις*, *ἐπάνοδος*, *ἀναφορά*, *πολύπτωτον*, *παρηγμένον*; sed cum isti virtutem inde quaererent oratoriam maioremque dicendi fortitudinem, minus hic rhetorum ista praecepta respicienda putavi; cum enim alliteratio in universum magis pertineat ad fa-

apud Plautum et antiquissimum quemque Romanorum scriptorem poetamve nil est frequentius atque usitatius. Iam plus semel conspicua fuit in iis, quae adhuc de alliteratione sunt proposita; liceat tamen alia exempla adiicere ex eadem Aulularia, quorum etsi plura ex necessitate quadam loquendi, etiam ex grammatica Romanae linguae conformatione orta dixeris, tamen verum est, ad hanc repetitionem per se sermonem esse propensiorem eaque Romanos haud leviter fuisse delectatos. Ita legimus Aulul. 1, 1. vs. 4.: *mala malam*, vs. 29.: *noster nostrae*, 2, 1. vs. 14.: *alia alia*, vs. 35.: *poscere*, *poscam*, 2, 2. vs. 4.: *properare propero*, vs. 37.: *scis*, *scio*, vs. 38.: *sine mala omni malitia*, vs. 39.: *arbitratus sum et nunc arbitror*, vss. 41. et 42.: *filiae filiam*, vs. 50.: *pauperum paupertimum*, vs. 82.: *pactum non pactum est*, *non pactum pactum*.

Animadvertimus, alliterationis, cuiuscunque sit generis, et repetitionis plenos maxime et quasi uberes esse locos, in quibus aut comica quaedam vis inest, aut proverbialis locutio, aut sententia gravior, aut salium iocorumque affectatio quaedam, aut tandem praeceptorum, quae quidem comoediam deceat, severitas.

Comice fortior validiorque est oratio Aulul. 1, 1, 37—39.:

— — — Neque quidquam melius est mihi,
Ut opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero;

ubi, licet, num integre locus sic legatur, dubitari debeat, haud pauca tamen inest alliteratio. Pariter 2, 2. vs. 30.:

Di me *s*ervant: *sa*lva res est; *sa*lvum est, *si* qu*id* non per*it*,

alliteratio bene consentit cum dictione comice seria. Ut in universum in illa scena plura eius generis reperiuntur, ut vss. 59. et 82. Deinde Aul. 2, 3, 12. in verbis:

Nam mecastor, malum moerore*) metuo ne mistum bibam

quis non sentiat, frequentiorem consonae *m* iterationem haud male cadere in trepidationem, qua anus Staphyla indicat, quantum periculi ipsi nunc immineat. Proverbialiter dicta sunt, quae legis 4, 10, 20.:

— — — nimis *v*ile est *v*inum;

gravius invehitur senex 4, 10, 54. verbis:

*Re*pudium, *re*bus p*aratis* atque exorn*atis* nupti*is*.

Sed pluribus abstinendum est exemplis, ne longior sim: hoc adiiciam, quantum equidem animadverti, in locis, quibus res nimium sunt concitatae iustoque plura miscentur atque vehementi-

---

ciliorem verborum cursum maioremque volubilitatem, ipse, cum de repetitione verborum hic loquor, non tam spectari volo orationis gravitatem, quam dulcedinem sermonis atque iucunditatem, quae ista iteratione augetur.

*) *Moerore*, non *moerorem*, scribendum opinor cum Gronovio et Bothio; partic. enim *mistum* vix sine ablativo legi potest. Sic *malum* a *moerore* distinguitur, uti loci natura poscere videtur. Ceterum scripsi *mecastor* pro *ecastor*, ut faciliores essent numeri; nam in unam syllabam pronunciando contrahi potest voc. *malum*.

ma oritur perturbatio, saepe minus conspici istam alliterationem, utpote quae orationem sibi poscere videtur paullo sedatiorem et quasi fere otiosiorem animorum affectum.

Ex hac autem alliteratione, ut supra iam monitum est, Plautino sermoni haud exiguam elegantiam et dulcedinem quandam verborum existere, quis non videat? Simul quisque intelliget, valde accuratum atque diligentem fuisse comicum in componendis syllabis literisque; nam maxime Plautus curavit, ut apta et concinna literarum, inprimis consonantium, esset collocatio, ut lenissimi quasi existerent numeri, meliusque syllabae syllabis responderent. Quo fit, ut quasi placidiori decursu oratio delabatur feraturque, quantum quidem per animorum affectum hoc fieri licet. Haec omnia satis effecisse censeo, ut veteribus Plauti oratio sermoque maxime placuerit. Itaque veteres ipsi dixerunt, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, latine si loqui vellent.

Cum, metuens scilicet, ne modum finesque huius libelli excederem, impeditus fuerim, quo minus, quod facere propositum erat, de loco difficiliore Aulul. 1, 1, 37—39. excursum paullo longiorem adiicerem, paucis hic placet monere, quid de loco isto statuendum videatur. Discedendum ipse opinor a libris MSS., etsi miro consensu, exigua tantum levique lectionis varietate, vulgatam tuentur libri, proboque in universum, quam de loco proposuit coniecturam Hieronymus Aleander, qui, ut docemur excursu, quem ad hunc locum apposuit Goellerus, hunc in modum scribi voluit:

— — — Neque quidquam melius est mihi,
Ut opinor, quam ex me ut *uvam* faciam *linea*
Longa, meum laqueo collum quando obstrinxero

Causas, quibus defendatur haec lectio, hic apponere longum est; legatur de iis excursus apud Goellerum. Ipse nil adiicio, nisi ab uno alterove fortasse magis probatum iri, si non *longa*, sed *longam* (uvam) scribatur; *longam* enim dicere *lineam*, minus hic aptum esse, quam *uva* si dicatur *longa*. Haud raro autem etiam apud Plautum a codicum MSS. auctoritate discedendum esse, facile intelliget, quisquis accuratius operam dabit poetae emendando. Ita Aul. 3, 5, 14. vulgo in libris legitur:

Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum;

quo in versu displicet incommoda ista verborum collocatio: *tutor capere est qui possit;* quod vero *tutoris* mentio fit, ea etiam parum apta videtur. Invitis libris scribendum existimo:

Neque lex, neque pudor est, capere qui possit modum.